DE

MEGARENSIUM INGENIO

MONSPELII, E TYPIS BOEHM

DE

MEGARENSIUM INGENIO

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

J. GIRARD

PARISIIS

APUD A. DURAND, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA DES GRÈS, 7

1854

CARISSIMO SODALI ET AMICO

GANDAR

DE

MEGARENSIUM INGENIO.

PROŒMIUM.

Urbium eversarum aspectu, et maxime earum quæ famæ olim quâdam celebritate innotuerunt, quales sensus in animis excitari soleant, sæpe magnâ vi eloquentiæ dictum est : id enim tam præsenti magnæ cladis spectaculo inesse, ut vel invitum revocet ad rerum vices reputandas et suæmet ipsius fragilitatis immemorem admoneat. Quæ quanquam ita vulgata tritaque usu sunt, ut jamdudum in declamationem cesserint, nemo tamen est qui non vividiora et quasi nova suam in mentem subire sentiat, quum Græciæ regiones perlustrat tot et tantis civitatibus viduas, ac sæpe angusto in spatio tam densa oppidorum illustrium funera recognoscit ; neque mihi, cui eximium patriæ beneficium memorare cordi est, terram illam, venerandam omnium artium parentem altricemque, invisenti, hujus generis cogitationes non

illapsæ interdum sunt, dum inter semirutos muros disjectaque ædium saxa ultro occurrebant præteriti decoris recordationes. Ac mirum quidem in modum constans illud luctûs spectaculum variavere diversæ eversionum facies, sive, sicut Athenis, novæ urbis domos et palatia etiamnunc e summâ arce protegere videntur templorum reliquiæ; sive, sicut Delphis, vilia inter tuguria vix emicant saxa aliquot, olim sacrata Phœbo; sive etiam aut in desertis vallibus urbes, muris inani spatio circumductis, sepultæ dormiunt, aut abruptis in rupibus trunca castellorum mœnia faucibus montium imminent, nullo jam ab hoste superatis. At Megaræ imprimis, etsi alias majoris profecto splendoris monumenta vel magis deformem vastationis speciem videre est, tamen nescio quâ locorum vi efficitur, ut accedentium animi ad singularem quamdam mœstitiam simul et prisci ævi meditationem sponte sese inflectant.

Quali enim habitu primum se offerunt circumstantia, et quanto magis etiam nostro tempori conveniant simplicia illa et tristitiæ ac solatii plena Sulpicii verba, ægrum Ciceronis animum refoventis! « [1] Ex Asiâ re-» diens, aiebat, quum ab Æginâ Megaram versus navi-» garem, cœpi regiones circumcirca prospicere. Post » me erat Ægina ; ante Megara ; dextrâ Piræus ; sinistrâ » Corinthus : quæ oppida quodam tempore florentissima » fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos jacent.

[1] Cicer. Epist. ad div., IV, 5.

» Cœpi egomet mecum sic cogitare : Hem ! nos homun-
» culi indignamur, si quis nostrûm interiit, aut occisus
» est, quorum vita brevior esse debet, quum uno loco
» tot oppidûm cadavera projecta jaceant ? » Paulo post, in vastis illis Megaræ muris Virgilius morbum concepturus erat, immaturæ atque adeo luctuosæ mortis principium. Ad hæc tristia vividius etiam oculos simul ac memoriam refert hodierna Megaræ facies.

Scilicet duplicis collis, quà ad mare et meridiem vergit, in intervallo clivoque modicum in pagum collectas aspexeris domus humiles et casas : quarum multæ, morbo bellove sæviente, habitantibus vacuæ corruerunt; cæteræ ita structæ sunt, ut, nullo tecti fastigio in acumen exsurgente, sed singulis, supra unius tabulati compagem, in planum æquatis, et ipsæ superiore parte truncatæ ac fere in ruinam collapsæ videantur. Uterque collis, quâ parte abscissis rupibus unus ad Orientem, alter ad Occidentem spectat, summo cacumini præfixas habet semirutas turres. Paulo infra, magnis murorum lapidibus, ætatis remotissimæ monumentis, declive solum etiamnunc sustinetur. Sunt et alii aliquot antiquis ex temporibus muri, qui inter casas aut in campo vix supra humum emergunt ; interdum, sicut permultis Græciæ locis, sacelli pæne detecti diffissique parietibus inserta videas exsculpta marmora columnasque, Byzantinæ artis nec jam Græcæ, sed multo recenti barbarie superioris, specimina : his tamen in ruderibus vitam curamque hominum testatur quum diffusus ex vili thure odor,

tum suspensa ante deformatas Christi sanctorumque imagines lampas.

Itaque Megaram hodie prospicienti cuilibet e mediâ valle non temnenda pagi geminarumque arcium moles sese erigere videbitur, sed ita tamen ut nullam inde voluptatem oculi percipiant ; quum neque, ut sæpe alibi occurrit, ullius arboris admistâ fronde amœnior fiat aspectus, neque purpureum illum splendorem saxis murisque sol induerit, sed unum et constantem cinerei coloris tenorem omnia præ se ferant ; neque etiam animus, aut ob immensam mœnium antiquorum structuram admiratione percellatur, aut novæ civitatis juvenili, tanquam pubescentis, flore recreetur. Memini quali primum specie sese mihi Megara obtulerit : nempe horâ meridianâ, quâ incolæ plerique vel ad agros colendos foras exierant, vel intus somno, de more, indulgebant, per desertam viam ad domos silentes appropinquabam ; et jam mecum dubitabam subitâne aliquâ clade omnes Megarenses oppressi expulsive essent, quum suspiciens unum hominem vidi in planis illis tectis ambulantem et exiguos, quibus inter se separata sunt, muros superantem. Quæ tecta, alia aliis inæquali ordine ad collis clivum superimposita, et muros vetustos turriumque recentiorum reliquias quum cernerem, nihil aliud videre mihi visus sum ac ruinas diversarum ætatum, geminatâ temporis iniquitate, aggeratas coacervatasque.

Attamen est aliquid quod Megaræ superstes adhuc permansit, situs urbis videlicet figuraque regionis. Quum

in alterutram arcem ascendisti, inde habes in prospectu campos circum in planitiem extensos, non illam immensam quidem nec pingui solo uberrimam, sed neque ita parvam et olivarum satorumque abundantiâ lætiorem, quum ibi tantummodo vicina montium juga a littore recedant. Si enim Athenis et Eleusine venisti, arctissimo itinere inter montis radices et mare molliter in concinnos flexus curvata littora secutus es; si Corintho, per angustiorem etiam illum tramitem ac, deficiente littore, in abruptis rupibus, olim Scironiis, exscissum, quam Κακὴν Σκάλαν hodie vocant, ægre incessisti. Qui ad septentrionem se attollunt Onii montes, bis interruptâ æqualium cacuminum serie, vias ad Alcyoneum mare et in Bœotiam per saltus illos aperiunt, in quibus quondam nube subitâ obcæcatos Persas et in amentiam versos, Dianæ auxilio, Megarenses oppresserunt.[1] Occidentem versus, insurgere propius incipit excelso vertice pars Onii montis Gerania, quâ superatâ Corinthum rectiore itinere tenditur. Jam ad meridiem conversis oculis, pulchros sinûs Megarici fluctus, portumque arce olim et parvæ insulæ objectu protectum, et, ultra fretum angustum, sinuatam Salaminis oram prospicis, saxosis quidem collibus horridæ, *amabilis* (ἱμερτῆς) tamen illius Salaminis quam Solon simulatâ amentiâ canebat: quàm acriter enim Athenienses simul et Megarenses provocabat, pariter e proximo propositum, fortitudinis præ-

[1] Pausan. I, 40, 2.

mium, quod jam multis certaminibus, multis spei ac desperationis vicibus, omni denique virtutis ardore aut ingenii calliditate ab utroque populo petitum fuerat [1]!

Sic uno visu capitur pars Megaridis præcipua, planities quæ urbem Megaram aluit, montium latera quæ fere constanter penes eam fuerunt, portus cujus præsertim usu navalis ejus potentia commerciumque incrementa acceperunt. Nisæa enim idem Megaræ fuit quod Athenis Piræus. Eodem modo cum urbe juncta est per *Longos Muros* [2], appellatos quoque *Crura* (τὰ Σκέλη), quorum olim per octo stadia exstructorum vestigia tantum hodie exstant. Verum Athenienses Piræi Longos Muros, potentiæ suæ munimentum, et ipsi struxere, et, quoad potuerunt, servavere : Megarenses autem simile opus non modo non ultro effecerunt [3], sed etiam octavo belli Peloponnesiaci anno æquavere solo, ut libertati suæ magis infestum quam utile. Ecquid unquam manifestius ostendit quantum in Græciâ interfuerit præcipuos inter et minores populos?

Portus ipse aut potius statio Nisææ vicina, nimium aperta, non ita bene ventos, ac præsertim Eurum, a

[1] Plutarch. Sol., 8 et ss.

[2] Thucyd. IV, 66. Aristoph. Lysistr., 1170. Apud Strabonem (IX, pag. 391), vel ipsius, vel librarii errore legitur *decem et octo stadia*. Quem numerum Leake (North.Greece, tom. II, c. 17), male prætulisse mihi videtur, male agnito insulæ Minoæ situ.

[3] Longos Nisææ Muros Athenienses primum struxerunt circ. ann. a. C. 462 (Thucyd. I, 103); postea, circ. ann. 339, Phocione duce, instauraverunt (Plutarch. Phoc., 15).

navibus arcebat. Quod Megarenses correxere, insulâ Minoâ per pontem ita cum proximo promontorio connexâ, ut littus in cornu productius continuaretur. Insulam turribus[1] munierant; verisimile est Nisææ acropoli arcem ab origine impositam fuisse. Legendum est apud Thucydidem[2] quomodo circum hæc loca Athenienses Lacedæmoniique arma exercuerint. Illud fere incredibile octavâ belli Peloponnesiaci æstate accidit, ut arx Nisææ penes Lacedæmonios esset, Longi Muri penes Athenienses, penes Megarenses Urbs sola.

Præter hunc Nisææ portum et hos circumpatentes campos, ultra Onium montem non aspernanda pars Megaridis sita erat. Neque parum in Megarensium potestatem fortunasque contulerunt duo maris Alcyonei portus, *Pegæ* et *Ægosthena :* major Ægosthena, quæ hodie etiam in oliveto antiquos muros turresque montis ad radicem porrigit. Sed in hâc remotiore regione Megaræ dominatio minus plena securaque fuit. Pegæ enim, oppidum in sinu Corinthiaco navigantibus aut montem Geraniam transeuntibus peropportune situm, non solum ab Atheniensibus aut a Lacedæmoniis occupatæ fuerunt[3]; sed, etiam quum nulli externæ ditioni addictæ essent, Megaræ civibus exsulantibus patuere[4]. Ægosthenam magis etiam liquet neque constanter, neque

[1] Thucyd. III, 51.
[2] IV, 66-73.
[3] Thucyd. I, 107, 111; IV, 21.
[4] Thucyd. IV, 66.

omnino subditam Megarensium imperio fuisse : hoc indicat quum Bœotica dialectos[1] in titulis Ægosthenicis usurpata, tum horum titulorum sensus, quorum pluribus[2] significari videtur Ægosthenam cuidam Bœoticarum urbium societati adjunctam fuisse; uno autem[3], omnium præcipuo, Ægosthenitis magistratuum genera propria continentur qui aut iisdem, aut etiam aliis ac Megarenses magistratus, nominibus appellabantur.

Itaque arctissimos intra fines se continere Megarensium dominatio coacta est. Nobiles tamen diuque florentes habiti, ne eo quidem tempore quo omnis eorum potentia fluxerat, in oblivionem apud veteres contemptumque venerant. Nostram quoque pietatem quasi ad venerandas reliquias videntur invitare. His enim locis suum est, ut ita dicam, eloquium, quo, omissis hodiernis istis Megarensibus, nescio quâ Albanæ gentis vice hæc inter rudera translatis, ad priscorum incolarum recordationem revocamur. Quales fuere illi homines quorum memoriam omnia circum infixam retinuerunt? Quibus se moribus habuere, aut quænam cœli sitûsve naturalis virtus suppetivit, ut in angustissimâ Helladis regione montibus ac mari inclusi, urgentibus undique fines tribus maximis

[1] In his mihi advocanda est doctissimi benevolentissimique viri Lebas auctoritas, qui mecum nondum editas titulorum explicationes communicavit.

[2] Lebas; Voy. Archéol., tom. II, s. I; Megar. N° 4-11.

[3] Welcker. Kleine Schriften, tom. III, pag. 242; Lebas (l. c.) N° 12.

civitatibus, tamdiu suam sibi vitam et lucem vindicare valuerint? Nonne enim Atheniensium, Corinthiorum, Thebanorumque in medio positi, tamen bellandi navigandique arte, commercii facultatibus et ingenii cultu Megarenses eminuerunt? Excutiamus igitur hunc pulverem ac situm, ruinas recentiaque tuguria amoveamus, ut antiquæ veræque vitæ vestigia colligere et illustrare enitamur; scrutemur præsertim, si liceat, ipsa vitæ hujus quasi penetralia, et quæcumque maxime propria atque intus inhærentia suum Megaræ habitum suumque nomen effecerint.

Mihi igitur propositum est, non universam Megarensium historiam per singulas vices sedulo exponere, utpote fata externa sæpissime secutam; sed in moribus et tanquam in intimâ historiâ potissimum inspicere quidquid peculiari notâ Megaricum ingenium signavit.

CAPUT I.

De Megarensium originibus. De Deorum apud eos cultu.

—

Quem noscere velis populum, scire magni refert et quo e genere locove is exortus sit, et quæ illi sæculorum series tradiderit, seu de ipso credenda, seu de sacris patriis religione servanda. Primum igitur apud Megarenses quæ fuerint eorum origines et quis fuerit cultus Deorum, inquiremus.

§ I. *De Megarensium originibus.*

A quibus primum Megara habita fuerit, et per quas antiquitus variarum gentium vices commistionesque transierit, donec, unâ supra cæteras prævalente, Megarensium populus, qualem jam certiore historiâ novimus, exsisteret, dilucide enarrare non nostræ opis esset. Nam, præterquam quod omnium græcarum civitatum origo fabulis involuta est, idem etiam apud Megarenses, quod apud alios, imprimis accidit, ut multa de industriâ mutarent aut mentirentur. Neque ideo forsan, si ad nos pervenissent scriptorum Megarensium aliorum-

que [1], qui res Megaricas peculiariter tractaverant, opera, desperandum esset conferendo dijudicandoque aliquam veritatis lucem excitari posse. Nunc autem hæc omnia perierunt. Attamen et Pausaniæ præsertim testimonia, quibus hæc inopia majus pretium facit, et alia ab antiquis auctoribus passim memorata, nobis suppeditant unde quædam componamus cum reliquâ Græciæ historiâ convenientia, et si non majore, saltem non minore fide digna.

Scilicet, antequam regnante Codro Peloponnesii, armis in Athenienses motis, Megaram expugnatam Dorum ditioni addicerent, remotissima illa Megarensium ætas duobus temporibus definienda est : uno, quum antiquissimæ gentes, Pelasgi, Cares, Lelegesque regionem obtinebant; altero, quum Ionibus Atticam occupantibus, Megaris Atticæ provincia facta est.

Pelasgos Megaridem incoluisse testantur vetutissimi arcis occidentalis muri qui *Cyclopeo* generi videntur attribuendi; simul Cares ex Oriente appulsos habitasse indicio sunt rex veterrimus *Car* [2], Phoronei filius, et nomen *Caria* alterutri [3] arci inditum. Post duodecim Caris

[1] *Hereas* Megarensis bis a Plutarcho citatur : Solon. vit. 11; Thes. 33. Composuerant *Megarica* (τὰ Μεγαρικά) *Hesagoras* vel *Heragoras* (Schol. Apollon. I, 212), et *Dieuchidas* (Diog. Laert. I, 2, 57. Schol. Aristoph. Vesp. 875. Schol. Apollon. I, 517).

[2] Pausan. I, 39, 5 et 4.

[3] Utri fuerit impositum, ambigitur, neque lis videtur prius dirimi posse, quam effossa sint indicia humo circum condita.

successores, regno potitus esse dicebatur *Lelex, Ægyptius* [1], a quo incolæ *Leleges* appellati. Is sceptrum filio *Clesoni* transmisit, cujus filiæ *Cleso* et *Tauropolis* [2], filius *Pylas* memorantur. Pylas generum suum *Pandiona,* alterius Cecropis natum, Atticâ à Metionidis expulsum, hospitio recepit [3]; nec Scironi suo filio, eidemque Pandionis genero, regnum tradidit; sed *Niso,* Pandionis filio, litem instituenti, ejusque posteris, Æacus arbiter regiam dignitatem, Scironi imperium exercitûs adjudicavit. Nisus autem filiam *Iphinoen* soliumque *Megareo,* Neptuni filio, concessit; hic filium Pelopis, *Alcathoum,* generum sibi adscivit simul hæredemque. Caris et Megarei sepulcra vidit Pausanias [4].

Hæc Megarenses. Verum liquet quo studio suas ori-

Nullâ ratione allatâ, Cariam in colle orientali Leake (l. l.) posuit; quum enim alterum, magis abscissum, melius natura munierit, non absurdum est arbitrari hunc ab Alcathoo prælatum fuisse in quo arcem suam ædificaret, post expugnatam dirutamque a Minoe urbem. Attamen ad contrariam opinionem facilius accesserim, quam Rizo Rangabe (Mémoire inédit adressé à l'Institut) aliquot argumentis fulsit, fidem, non securam quidem, sed non levissimam facientibus.

[1] Paus. I, 44, 5. Aristot. apud Strab. VII, p. 322.

[2] Paus. I, 42, 8.

[3] Paus. I, 5, 3 et 4.

[4] Caris sepulcrum non prave suspicatus est Rangabe (op. l.) hodie etiam exsistere. Si quis enim ad rupes Scironias pergit, mox paulum ad dextram animadvertit tumulum culmine depresso et basi e lapidibus *conchitis* circumductâ conspicuum. Hoc autem cum Pausaniæ verbis (I, 44, 9) congruit.

gines ad urbis amplificandam dignitatem narraverint et composuerint; quippe qui et Caris tempore in arce Cariâ exstructum Cereris templum contenderent [1], a quo, *Megaro* proprie dicto, nomen jam inde ab initiis in suam urbem transiisset, et, a Pylâ usque ad Alcathoum regum continuatâ simpliciter serie, bellum adversus Minoa arcisque suæ expugnationem ex industriâ omitterent. Bœoti autem, teste Pausaniâ, Megarensium urbem, prius *Nisam,* postquam Megareus Onchesto in auxilium Niso missus, interfectus ibi in prælio sepultusque fuisset, tunc demum *Megaram* appellatam esse asserebant, fortasse in eâ re suspicioni obnoxii. Id vero jure magis cum cæteris græcis affirmabant, regem Nisum a Minoe Cretibusque devictum urbemque captam ac dirutam esse. Cui rei conveniunt vulgata de Scyllâ et Niseo capillo fabula [2], et *Nisææ Minoæque* nomina arci et insulæ portum protegentibus imposita.

Præterea in his animadvertere operæ pretium est non ab ipsis Megarensibus silentio potuisse prætermitti, quodam tempore ipsorum regionem, saltem quâ parte Saronica littora complectitur, sub Ionum Atheniensiumque jus transmissam fuisse. Quid enim aliud significat ille Pandionis adventus, apud Megaram sepulti et ipsâ in urbe honorati [3]; ac deinde illud Nisi regnum Æaci

[1] Paus. I, 39, 4.

[2] Paus. I, 19, 6. Virg. Æn. VI, 74. Cir. pass. Ovid. Metam. VIII, 1-151. Remed. Am. 67. Ars Am. I, 331.

[3] Paus. I, 5, 4; I, 40, 6.

judicio sancitum? Quod apud Athenienses vulgo acceptum fuisse argumento sunt quum plures alii a Strabone citati, tum Sophocles, apud quem Pandion, regnum quatuor filiis partitus, Niso Megaridem attribuit [1]. Scilicet pro certo habendum est Iones omne littus usque ad Corinthiacos fines occupasse; quos ante Dorum ex Peloponneso irruptionem accurate signatos esse ex Strabone [2] didicimus, quum in Isthmo ad Crommyonem columna staret in utrâque facie inscripta : nempe, quâ Megaridem spectaret, « Hæc non Peloponnesus, sed Ionia »; alterâ, « Hæc sunt Peloponnesus, non Ionia. » Neque alioquin satis intelligeretur, cur Minos, filium Androgeum per Ægæi insidias a tauro Marathonio necatum ulturus, Megaram expugnavisset [3].

Eamdem causam affert Strabo, cur Megarensium nomen nusquam apud Homerum occurrat : eos enim Atheniensibus fuisse adjunctos, et Atticam Megaridemque Ionias fuisse. Itaque et his verbis

ἔνθα δὲ Βοιωτοὶ καὶ Ἰάονες,
(Il. XIII, 685.)

Athenienses significari, et Catalogi versu

Οἱ δ' ἄρ' Ἀθήνας εἶχον, ἐϋκτίμενον πτολίεθρον,
(Il. II, 546.)

[1] Νίσῳ δὲ τὴν ὅμαυλον ἐξαιρεῖ χθόνα
Σκείρωνος ἀκτῆς.
Soph. ap. Strab. IX, p. 392.

[2] III, p. 171; IX, p. 392, 393.

[3] Schol. Platon. ad Mino. p. 725, 36. ed. Bait.

Megarenses cum Atheniensibus comprehendi intelligendum. Sic a communi illo tanquam Græcorum nobilitatis libro se exclusos esse non æquo animo tulerant Megarenses. Quapropter, duobus versibus in Iliadem (II, 557.) interpolatis, saltem suorum oppidorum pagorumque nomina inseruerant :

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν νέας, ἔκτε Πολίχνης
ἔκτ' Αἰγειρούσσης Νισαίηςτε Τριπόδωντε,

Quorum primo *Polichne*, cæterum ignoto, ipsam Megaram designari quidam[1] voluerunt. Hæc nos docet Strabo[2], ac præterea quomodo simili arte Solon aut Pisistratus, quum de antiquiore Salaminis possessione contentio esset, alium versum addidisset, quo Ajacem Atheniensibus adjunctum fuisse probaretur[3].

Itaque Iones diu Megaridem obtinuere, neque aut loco cessisse aut immutasse mores videntur, quum ab Achæis acceperunt incrementum ac deinde Æolio regi paruerunt. Quo enim tempore Achæi Pelopidis ducibus in Peloponneso prævalebant, Alcathous, Pelopis filius, ex Elide novas opes attulit quibus eversam a Minoe urbem denuo erexit, ipse in regnum vocatus. Nec relatu indignum quomodo ejus adventum fabulosâ illâ heroum ætate Megarenses, nullâ Minois habitâ mentione, narraverint[4]. Scilicet, quum Megareus imperium a socero

[1] Forbiger. ap. Pauly art. Megara.
[2] IX, p. 394.
[3] Cf. Plutarch. Sol. 10.
[4] Paus. I, 41, 4 et 5.

Niso traditum placide exerceret, leo immanis ex Cithe-rone ortus agros populatus est; a quo et multi alii interfecti, et ipse filius regis *Euippus*. Megareus autem, dolore percitus, quum se virili prole, nam alter filius *Timalcus* jam a Theseo necatus fuerat, orbatum videret, filiam *Euæchmen* sceptrumque promisit cuicumque feram occidere obtigisset. In leonem incidit Alcathous, eum aggressus interfecit, interfectique linguam excisam in perâ inclusit; tum ad urbem regiamque perrexit; et jam plures alii, leonis cadavere reperto, victoriæ præmia sibi certatim vindicabant, quum prodiit Alca-thous et, perâ reclusâ, certissimum pignus belluæ lin-guam exposuit[1]. Inde mos apud Megarenses invaluit victimarum linguas in aris postremas imponendi. Victor Alcathous Apollini *Agræo* et Dianæ *Agroteræ* templum sacravit. Illum, regno potitum, supra dictum est in colle alterutro arcem recentiorem muniisse, quam suo nomine appellavit. Novis mœnibus exstruendis ipsius Apollinis operam non defuisse memoriæ traditum est, ac sæpe illustratum, maxime autem Theognidis, inclyti Megarensium poetæ, versibus[2]:

Φοῖβε ἄναξ, αὐτὸς μὲν ἐπυργώσας πόλιν ἄκρην,
Ἀλκαθόῳ Πέλοπος παιδὶ χαριζόμενος.

Ostendebatur juxta Deorum *Prodomæorum*[3] aram

[1] Dieuchidas ap. Schol. Apollon. I, 517.

[2] Paus. l. l. Theogn. v. 755. ed. Welcker.

[3] Θεοὶ Προδομεῖς, sc. qui struendis ædibus, prius invocati, præsunt.

quorum Alcathous numen adoraverat, saxum, cui, quum in eo lyram Apollo posuisset, ea vis e divino contactu inhæserat, ut, lapilli ictu percussum, lyræ instar resonaret[1].

Neque ipse Alcathous prole feliciter usus est. Filiorum enim natu major *Echepolis,* aprum Calydonium cum Meleagro aggressus, periit; alterum, *Callipolim,* quum tristis nuntii certior factus, statim ad Alcathoum in arce Apollini sacra facientem cucurrisset, et luctu amens ligna ex altari disjecisset, pater iratus, tanquam impium, rapto ex ipsis sacris stipite feriit, et, capite petito, necavit. Quamobrem regnum reliquisse fertur Æolio Salaminis regi *Telamoni* qui filiam ejus *Peribœam* in matrimonium duxerat. Altera Alcathoi filia, *Iphinoe*, virgo quum obiisset, in morem venerat ut in ejus sepulcrum virgines jam nupturæ libamenta et capillorum primitias afferrent[2].

Post Telamonem et fortasse Ajacem[3], regia dignitas Pelopis generi iterum obtigit, *Hyperioni* scilicet, Agamemnonis filio, qui rex ultimus Megarensium fuisse perhibetur, a Sandione avaritiæ et insolentiæ causâ interfectus[4].

[1] Ovid. Metam. VIII, 14. Virg. Cir. 107 :

> Unde etiam, citharæ voces imitatus acutas,
> Sæpe lapis recrepat Cyllenia munera pulsus,
> Et veterem sonitu Phœbi testatur honorem.

[2] Paus. I, 43, 4.

[3] Strab. IX, p. 394.

[4] Paus. I, 43, 3.

Quo exstincto, regum Megarenses pertæsum est, qui se gubernandos magistratibus commiserunt, in annum, ut ipsi ferunt, electis. Quod autem valde incertum, nec temere Welckerus [1] suspicatur multo post a Megarensibus, quum penes plebem imperium esset ejusque referret ut annuos magistratus ab Agamemnonis tempore ducere originem pervulgaretur, confictum esse, adjunctâ fabulâ : scilicet *Æsymnum,* virum inter cives auctoritate principem, Delphos oraculum consultum ivisse quid patriæ maxime conduceret ; ab Apolline autem responsum, res Megarensibus prospere successuras, si *cum pluribus* [2] deliberarent. Itaque Megarenses, sic mortuos significari arbitrati, curiâ ædificatâ, in eodem loco heroum sepulcra Æsymnique ipsius monumentum incluserunt. Verum de illo Æsymno heroe jam dubium oritur, si advertas voci αἰσυμνᾷν [3] *imperare* sensum esse, et apud Chalcedones, Megarensium colonos, quosdam magistratus αἰσυμνήτας [4] reperiri : ergo non a vero videtur abhorrere jam ex priscis temporibus eosdem magistratus Megaræ quoque exstitisse eodem nomine appellatos, nec mirum si ab iis Αἰσύμνιον dicta fuerit curia in quâ deliberarent.

[1] Prolegom. ad Theogn. XVIII, n. 12.

[2] Paus. l. l. : « ἢν μετὰ τῶν πλειόνων βουλεύσωνται. » Οἱ πλείονες, sc. mortui, in epigrammatis sepulcralibus, ap. Polyb. VIII, 30. *Plures* cum eodem sensu ap. Plautum *Trin.* II, 2, 14.

[3] Euripid. Med. 19.

[4] Bœckh. Corp. Inscr. gr., N° 3794.

Utcumque res est, tum nulli jam reges proprii Megarensium erant, quum Peloponnesii in Atticam irruptionem fecere. Quos ex pluribus testimoniis[1] constat, ob voluntariam Codri mortem repulsos, Megaram, quum recederent, occupasse, et in eâ coloniam præcipue Corinthiorum et Messeniorum constituisse; eâ autem occupatione res penitus adeo mutatas, ut victis reipublicæ administratione interdictum, et Dorum lingua moresque impositi sint.

Hinc oritur certior Megarensium historia, in gentem jam melius definitam notamque evadentium. Attamen in illâ eorum quasi infantiâ tenebris obductâ immorari aliquantulum etiam mihi liceat : non solum quia in fabulis hinc atque illinc collectis fictisve eorum ingenium, quod quærimus, verius forsan expressum invenitur, quam in eventorum vicibus quas sæpius inviti subiere; sed etiam quia novisse refert unde exorta sint plurima monumenta, apud eos religiosius servata, nec minima pars populi alicujus est quid fide ac memoriâ infixum coluerit.

Permulta hujus generis ab Atheniensibus Megarenses, alia a Thebanis Bœotisque, a Peloponnesiis, atque etiam a Salaminiis Æginetisque accepere, aut cum illis habuere communia; cum Corinthiis autem, licet proximis, nihil.

Ægei tempore Megaridem arctissime cum Atticâ con-

[1] Paus. l. l. Strab. VIII, p. 333; IX, p. 393. Scymn. 501.

nexam esse jam supra animadversum est. Unde commune adversus Minoem bellum, communis imposita victis conditio : nam Megarenses humanum illud tributum pariter solvere jussos, filiamque Alcathoi Periboæam simul atque Theseum in Cretam missam esse tradebatur[1]. Jam vero ipsis Megaricis littoribus Thesei vestigia, Trœzene Athenas euntis, impressa fuisse, nemo fere est qui nesciat. Crommyoniæ enim Suis Scironisque nominibus nihil vulgatius est. Atque de hoc etiam memoratu dignum est, Megarenses adversus vulgarem famam certamen iniisse, nec feliciter quidem, quum omnis adversus talia commenta, postquam tempore invaluerint, iniqua contentio sit. Nempe Scironem adeo non latronem fuisse affirmabant, ut contra, latrociniorum repressor, cum justissimis viris amicitiâ et necessitudine conjunctus fuisset : quippe Cychrei Salaminii, vel pro Deo ab Atheniensibus habiti, gener, et socer Æaci[2]. In eo quanquam dubitare licet num multum profecerint Megarenses, quum in vicem rei fictæ dubiam rem succedere vellent, certe æquum est fateri haud injuriâ eos indignatos esse, quod in avorum dedecus immeritis imputarentur quæ ex regionis naturâ Græcorum ingenium videatur effinxisse. Sunt enim rupes, quas olim Sciron infestas fecisse dicitur, transitu perquam difficiles, sæpe per tales angustias tramite ducto, ut vix singulis sufficiat euntibus,

[1] Paus. I, 42, 1.

[2] Plutarch. Thes. 9, 10. Diod. Sic. IV, 59. Strab. IX, p. 391. Paus. I, 44, 12.

et in saxis ita abscissis, ut mare infra jacens despici vix sine vertigine quâdam simul oculorum animique possit. Quid vero accidisse credas priusquam via, vel angusta, a Scirone, ut ferebant Megarenses[1], aut ab alio muniretur? Nonne multos, forsan et augente perturbationem animi procellâ, in fluctus infra æstuantes e rupibus abruptis præcipitatos? Græcos autem sibi vim illam funestam repræsentasse latronis immanis specie indutam, viatores in mare detrudentis? Nec fortasse ab hoc alienum est, quod Athenienses *Scironem* dicebant ventum occidentalem, qui e Scironiis jugis desævire videbatur[2].

Utique Attica de Theseo ac Scirone fabula prævaluit. Fabulis Atticis alia etiam apud Megarenses adjuncta fuere. Quippe de illâ Thesei adversus Amazones pugnâ toties vel in panegyricis celebratâ, vel signis pictisque tabulis descriptâ : Amazonibus victis et magnâ ex parte interfectis, regina Hippolyte cum paucis Megaram aufugisse ferebatur, ibique cladis acceptæ dolore et patriæ Themiscyræ desiderio consumpta decessisse[3]. Cujus monumentum prope urbem ad formam Amazonii clypei exstructum erat. Haud procul ostendebatur quoque Terei sepulcrum, in quo annua sacra fiebant, videlicet Thraciâ religione fabulâque Megarensibus simul atque Atheniensibus transmissâ. Tereum enim, Pandionis generum, Pegis, urbe Megaricâ, regnasse dicebatur; post atrocia

[1] Paus. I, 44, 10.
[2] Strab. IX, p. 391.
[3] Paus. I, 41, 7.

autem facinora ab ipso et a Procne Philomelâque commissa, a suo populo expulsum, Megaræ voluntariam necem sibi conscivisse : ubi vero sepultus esset, ibi primum volucrem, cui nomen epops, visam fuisse[1].

E fabulis quæ a Bœotiâ et Thebis in Megaridem influxere, jam ea memorata est, quâ Megareus Onchesto opitulatum Niso venisse narratur. Sed alia vetustiora sibi assumebant Megarenses : scilicet in viâ Scironiâ, ubi rupes *Moluriides* dictæ in mare maxime omnium prominent, inde Ino, postquam per iter postea nominatum Καλῆς δρόμον insana cucurrisset, cum filio Melicertâ in fluctus prosiluisse[2]. Quam sibi peculiarem Deam facere studuerant, ædificato in ejus cultum sacello institutisque cærimoniis; ac præterea, soli Græcorum, affirmabant ejus corpori, fluctibus in littus Megaricum rejecto, Clesonis filias Cleso et Tauropolim, quum forte occurrissent, juxta solvisse : a se autem primis eam sub nomine Leucotheæ esse adoratam[3]. Aliam Cadmi filiam, Autonoen, tradebant, quum eam pigeret tot domûs suæ cladium esse superstitem, et Thebas præ luctu reliquisse et paulo post in vico Megaridis *Eraniâ* (vel forsan *Geraniâ*) defunctam esse et monumento conditam[4].

Quum autem per Megaridem transirent quicumque ex Peloponneso in Atticam aut Bœotiam ac septentrionales

[1] Paus. I, 41, 8.
[2] Id. I, 44, 11. Plutarch. Symposiac. V, 3.
[3] Paus. I, 42, 8.
[4] Id. I, 44, 8.

regiones migrabant vel contrarium iter sequebantur, necesse fuit ut plures ex eo fabulas retinerent Megarenses. Hinc multa de Heraclidis. Nempe ab illis Alcmenam, quæ Argis Thebas petens in Megaricis finibus obierat, Megaræ, Delphici Apollinis jussu, fuisse sepultam [1]. Pariter sepultos in Megaride, et Eurystheum, in monte Geraniâ ad fines Corinthiacos ab Iolao interfectum, et postea Hyllum, Heraclidarum ex Atticâ in Peloponnesum ducem, quum fere eodem loco cum Arcade Echemo uno unus ipse congressus periisset [2].

E Peloponneso de Pelopidis, præter Alcathoum et Hyperionem, alia communicata. Nam tristis de Iphigeniâ fabulæ partem Megarenses sibi rogabant, eâ vulgatâ opinione, in ipsorum urbe et Calchantem habitasse, quem abducturus Agamemnon ipse venisset, inscius futuræ cladis ministrum, ædemque Dianæ erexisset [3], et Iphigeniam mortuam esse.

Neque nihil Argos Megaræ suppeditavit: quod testabatur, quum Corœbi, argivi herois et Tripodiscorum conditoris, egregium in foro Megarico monumentum [4]; tum de ipso rege Adrasto fabula, qui, interfecto a Thebanis filio Ægialeo et Pegis sepulto, ipse quum exerci-

[1] Id. I, 41, 1.

[2] Id. I, 44, 14; 41, 3.

[3] Id. I, 43, 1; 44, 7. Theogn. v. 727, ed. Welcker:

Ἄρτεμι θηροφόνη, θύγατερ Διός, ἣν Ἀγαμέμνων
εἵσαθ', ὅτ' ἐς Τροίην ἔπλεε νηυσὶ θοῇς.

[4] Vid. infra cap. V, § IV. Paus. I, 43, 7.

tum a Thebarum obsidione reduceret, Megaræ senio simul et ægritudine confectus decesserat [1].

Denique quid cum Æoliis ex Æginâ et Salamine commune Megarenses habuerint, indicat primum Æacus, Nisum inter Scironemque litem composuisse traditus, et, in monte Scironiæ viæ impendente, templum Jovi Ἀφεσίῳ sacrasse [2], qui siccitati in Megaricos agros, ob Minois iram, sævienti finem fecisset; deinde filius ejus Telamon et nepos Ajax, regibus Megarensium annumerati.

Hæc fere de remotissimâ Megarensium ætate tradita habemus; in quibus patet quam multa ex aliarum atque imprimis vicinarum gentium fabulis ultro in se contraxerint, ut sibi integram ac satis claram originum seriem componerent. Quod quum in permultis Græciæ civitatibus singularis et curiosa erga patriam pietas tentaverit, nusquam majore studio vel arte quam Megaræ effectum est. Constat autem Megarenses primo Pelasgos fuisse; dein maxime Iones, admixtis etiam Achæis Æoliisque; postquam vero Codrum aggressi Peloponnesii urbem eorum cepissent, tum omnino Dorienses factos fuisse.

§ II. *De Deorum apud Megarenses cultu.*

Ex variis illis originibus exiere etiam, ut par fuit, Dii Megarenses. Inter quos præcipuo honore culti viden-

[1] Id. I, 43, 1.
[2] Id. I, 44, 13.

tur Ceres, Apollo, Jupiter ac forsan Neptunus; secundum hos, Bacchus, Minerva et Venus.

Antiquissimus omnium Cereris cultus habebatur: dubio procul Megaræ simul atque in Eleusine urbe vicinâ constitutus. Ejus templum, τὸ Μέγαρον, in vetustiore arce a Pelasgis erectum, et urbi nomen indidit, et summâ semper veneratione circumdatum est[1]. Eam propriam civitatis Deam et pæne præsidem fuisse præterea indicio sunt nummorum Megaricorum typi, ejus imaginem, plerumque Romanorum imperatorum ætate atque interdum etiam priore tempore, referentes[2]. Aliis quoque templis colebatur, in ipsâ Alcathoi arce ut Legifera (Θεσμοφόρος)[3], et ad Nisæam ut Ovifera (Μαλοφόρος)[4]. Servabatur etiam in urbe petra *Anaclethra* nomine, juxta quam scilicet Ceres filiam ereptam vocavisse[5] dicebatur. Quod in nummis, mulieris investigantis habitu, facem manu utrâque gerens effingebatur, id pariter ad Eleusiniam fabulam pertinere liquet.

Quemadmodum Cereri arx Caria consecrata fuerat, ita Apollinis numen arci Alcathoiæ adfuisse jam notum est. Quapropter et ipse Deus proprie patronus urbis habitus, quum præterea Megarei pater[6] diceretur, in

[1] Paus. I, 39, 4; I, 40, 5.
[2] Eckhel Doctr. Num. vet. v. II. Attic.
[3] Paus. I, 42, 7.
[4] Id. I, 44, 4.
[5] Id. I, 43, 2.
[6] Steph. Byz. voc. Μέγαρα.

præcipuis nummorum Romanâ dominatione vetustiorum plerumque reperitur, sæpe alterâ facie illius citharam offerente[1]. Imo illud ex nummis suspicari licet, quum ipse in optimâ artis Hellenicæ ætate primas obtineat, Ceres autem secundas, vel interdum nullas; Romanorum vero tempore, jam illius in locum semper succedentibus imperatorum imaginibus, ne alterius quidem faciei in consortium a Cerere sæpe vocetur, sic indicari utriusque numinis apud Megarenses fortunam. Nempe Apollo eamdem fere ex antiquo Cereris numine victoriam videtur retulisse, quâ Pelasgos Iones subegerant; nec profecto dignitatem ejus Dores imminuere, qui eum vel præcipue colerent : quo autem tempore, cum Græciæ totius libertate, cujusque civitatis propria morum habitudo ac vitæ præsentis facultas pæne perierat, Megarensibus, sicut multis aliis, ad suas origines studiosius se referre cordi fuit, et Deam Pelasgicam in suo honoris gradu sero restituere illiusque effigie nummos sæpius signare collibuit.

Apollinis templum antiquissimum in arce Alcathoi videbatur, lateribus exstructum, quod Adrianus candido e marmore iterum ædificavit[2]. Aliud remotissimi temporis monumentum in vetere gymnasio colebatur, Apollinis signum valde simplex et rude, quum nihil aliud esset atque exiguus lapis, in speciem pyramidis effictus[3].

[1] Eckhel l. l.
[2] Paus. I, 42, 4.
[3] Id. I, 44, 3.

Eumdem, tanquam *Venatorem* (Ἀγραῖον) simul ac Dianam *Venatricem* (Ἀγροτέραν) Alcathous[1], tanquam *Tutorem* (Προστατήριον)[2], et *Latonis filium* (Λατῷον)[3] Megarenses templis honoraverant. Qui et statuam illi, post victos ad Nisæam Athenienses (Ol. 83, 3), Delphis consecraverant[4].

Apollinis cultum maxime Megaræ viguisse, vel eo patet quod tam multa de illo in Megaricam coloniam (Ol. 30, 3 secundum Eusebium conditam) Byzantium translata fuerant. Cujus mœnia item ædificasse ferebatur, et turrim impositâ lyrâ canoram reddidisse, et cantibus delphinos demulsisse[5]. Ibi præterea ejus templum oraculumque celebrabantur[6].

Quod Diana honoris Apollini ab Alcathoo redditi particeps fuerit, nihil mirum est. Præterea ei, ut *Servatrici* (Σωτείρᾳ) post servatos in bello Medico Megarenses[7], signum æneum sacratum erat; ut *Orthosiæ* (Ὀρθωσίᾳ) aut Marinæ (Λιμνήτιδι) quod, auctore Mullero[8], idem fuit, plura templa[9] : quorum unum ab Agamemnone[10], sicut Aulide, ædificatum ferebatur, cujus meminit

[1] Id. I, 41, 4.
[2] Id. I, 44, 2.
[3] Id. I, 44, 14.
[4] Plutarch. Pyth. Orac. 16. Paus. X, 15, 1.
[5] Vid. Muller. Dor. l. II, c. 2, § 10. n. i.
[6] Dionys. Byz. pag. 23.
[7] Vid. supra, p. V. Paus. I, 40, 2.
[8] Dor. T. I, p. 383.
[9] Bœckh. Corp. I. Gr. N° 1064.
[10] Paus. I, 42, 1.

Theognis. Præcipuus igitur Marinæ cultus ; ad quem se referebant acceptæ apud Megarenses de Iphigeniâ fabulæ[1]. Ad Orthosiam spectat lunula in nummis Megaricis[2].

Jupiter apud Megarenses a primâ origine adoratus fuit, ut Pelasgicus Deus. Sic in acropoli Cariâ templum habuit hypæthrum, unde forsan *Pulverulenti* (Κονίου) nomen acceperat[3]. Cujus cultu Æoliorum ope imprimis auctus videtur fuisse. Æacus enim ædem supra memoratam Jovi Ἀφεσίῳ sacravit ; ac nihil mirum si apud Megarenses, ipsi morem gerentes, honorandi maxime hujus Dei fuerit auctor, qui tanquam præcipuus et verus Hellenicarum gentium præses Æginæ montibus insidebat. Ad hoc fortasse illud pertinet, Nisææ, à Niso Æaci tempore conditæ, in uno eo quem novimus, nummo, Jovis faciem inscriptam reperiri. Certe postea, quemadmodum in recentiore Hellenum Olympo, Megaræ videtur Jupiter primas egisse. Nam illud quo Olympii nomine colebatur, templum a Pausaniâ[4] dicitur omnium splendidissimum fuisse, luco scilicet circumdatum, atque intus præstantissimis artificum operibus ornatum.

Neptuni autem nullum Megaræ templum memorat Pausanias, de uno Nisææ proximo loquitur Thucydides[5]; neque unquam ejus effigie nummi qui ad nos pervenere,

[1] Vid. supra, p. 24.
[2] Vid. Welcker. Theogn. n. ad v. 727.
[3] Paus. I, 40, 5.
[4] Paus. I, 40, 3.
[5] IV, 117.

impressi sunt. Attamen, quum mirum esset si Deum Isthmi præsidem, a quo ipsi maximas opes ducerent, prorsus neglexissent Megarenses, præterea conjiciendum eum vel præcipuo apud illos cultu floruisse. Reperitur enim inter Megarensium magistratus, si Mullero [1] credendum est, *Hieromnamon*: quod munus, quum Amphipolorum, Hieropolorum et Hierothytarum apud Siculos officiis haud dissimile fuisse videatur, semper Neptuni sacerdoti proprie attributum auctor est Plutarchus [2]. Atque ubi deficiunt aut non satis suppetunt Megaræ monumenta, plura e coloniis Byzantio et Chalcedone repetere licet, utpote illuc e Megaride traducta. Nempe urbis utriusque hieromnamones memorantur: prioris, in decretis a Demosthene [3] et Polybio [4] relatis, unus etiam tanquam eponymus; alterius autem, in decreto illo adhuc servato [5], in quo magistratus eponymi hoc ordine inscripti sunt: Rex, Hieromnamon, Vates (videlicet Apollinis), tres Legum Custodes (Νομοφύλακες). Neptunus sæpe in Byzantiacis nummis expressus est. Adde quod Byzas heros, Byzantii conditor, Neptuni filius ferebatur, pariter ac Megareus, a quo Bœoti Megaram nomen accepisse contendebant.

Bacchi numen Megarenses a Thebanis erant mutuati,

[1] Dor. III, 9, § 10.
[2] Sympos. VIII, 8, 4.
[3] Pro Coron., p. 255.
[4] IV, 52, 4.
[5] Bœckh. Corp. Insc. Gr. N° 3794.

aut eodem quo illi tempore venerari inceperant : utique cum illis habebant commune. Quod diu Megaræ perstitisse testantur nummi ejus figurâ simul et Septimi Severi effigie impressi ; remotâ autem antiquitate celebratum multa probant. In uno templo, quod in arce Cariâ erat exstructum et noctis oraculum continebat, ut Νυκτέλιος colebatur [1] ; in altero, quod in ipsâ urbe vates Polyidus ædificaverat, summâ religione servatum videbatur Bacchi vel Patrii (Πατρῴου) nomine appellati *xoanum*[2] (ξόανον). Sed imprimis animadvertenda sunt quæ de Melampode, vetustissimo illo vate et Bacchi apud Æolios antistite, et de ejus posteris apud Megarenses inveniuntur. Ægosthenæ, in urbe Megaridis ad fines Bœotorum extremâ, Melampodis sacrarium annuis religionibus festisque celebrabatur [3]; in quo etiam publicas tabulas collocatas fuisse documento est marmor [4] decreto publici hospitis nomen (προξενίαν) concedente inscriptum, quod ad agnoscendum oppidi antiqui situm profuit. In ipsam urbem Megaram, Melampodis pronepotem, Polyidum, venisse tradunt, alii [5], ut Alcathoum, cæde Callipolidis admissâ, lustraret, alii [6], ut Nisi hospitio frueretur Cretâ profugus, ubi Glaucum, Minois filium ad vitam revocasset : unde

[1] Paus. I, 40, 5.
[2] Id. I, 43, 5.
[3] Id. I, 44, 7.
[4] Welcker. Lebas, l. l.
[5] Paus. l. l.
[6] Appollod. III, 3. Virg. Cir. v. 112.

etiam bellum Cretense fuisset exortum. Templi ab eo exstructi ad limen filiarum ejus Astycratiæ et Mantus sepulcra videre erat; atque intus ostendebatur ab ejus nepote Euchenore sacrata Baccho Δασυλλίῳ statua [1].

Minervam verisimile est Iones Atticos, quo tempore imperium in Megarica littora extenderent, colendam Megarensibus transmisisse. A quâ opinione non discrepant rupes, cui adstabat Pandionis monumentum, Minervæ *Mergo* (Αἰθυίᾳ) sacrata [2], et templum ejusdem Deæ in arce Alcathoiâ ædificatum [3]. Scilicet hoc duo alia, sicut Erechtheion Athenis, complexum esse ex Pausaniæ verbis intelligitur: utrumque Minervæ etiam dicatum, unum *Victoriæ*, alterum *Æantidi*, in quo Deæ hujus statua a Telamone posita erat. Hic deprehenditur ad celebrandum Minervæ numen nonnihil ab Æacidis Salaminiis collatum fuisse.

De Venere nihil peculiariter dicendum; cæterum ad eam infra [4] paulo fusius redibimus. Minus etiam alii Dii memorandi sunt, Megaræ, sicut ubique apud Græcos, sed non præcipue honorati. Non autem silentio prætermittemus quædam ordinis inferioris, at sine dubio ex ipsâ Megaride oriunda numina, scilicet *Sithnides* [5] aut *Theides* [6] Nymphas, fontis præcipui præsides; quarum

[1] Paus. l. l.
[2] Paus. I, 5, 3.
[3] Id. I, 42, 4,
[4] Vid. cap. IV, § II.
[5] Paus. I, 40, 1.
[6] Etym. Magn. voc. Γεράνεια.

ex unâ et Jove genitus, Megarus e Deucalionis diluvio incolumis evasit, quum, nando gruum supra volantium clangorem secutus, in montis Geraniæ (Γέρανος, grus) inde dicti cacumen pervenisset. Quæ quidem quocumque tempore fuerint efficta, hoc Megari nomen Megaræ ac Megaridis nominibus quam proximum sit, nemo non videt, et prorsus mirum est quod non fabulæ in complementum venerit, Megarum Megarensium stirpem fuisse. Jam notæ sunt origines seu ab antiquo Cereris templo (ἀπὸ τοῦ Μεγάρου), seu a Megareo, Neptuni, aut Apollinis, aut etiam, ut volebant alii[1], Ægei filio, ductæ; quarum prior probabilior videtur. Quam dubia tamen res fuerit, quo magis pateat, notanda est et alia opinio[2], quâ Megaræ nomen ad regionis naturam referebatur, *utpote saxis asperam*. Quod recte Berkelius interpretatus est, collatâ Hesychii[3] explicatione, quâ subterraneas habitationes vel specus nonnunquam Μέγαρα dici indicatur.

[1] Steph. Byz. v. Μέγαρα.
[2] Id. ibid.: διὰ τραχὺ τῆς χώρας.
[3] Hesych. s. v.

CAPUT II.

DE EXTERNA MEGARENSIUM POTENTIA.

Doriensis ex quo Megara facta est, constanter permansit. Hinc et reipublicæ, et morum, et linguæ suam formam accepit. Hinc etiam magnâ ex parte exortum est per quas fortunæ vices transitura esset. Megarensium quidem historiæ singula persequi non mihi propositum est : quod nempe neque ad cognoscenda eorum ingenia satis utile videatur neque forsan satis clarâ vel peculiari eventorum serie moveat animum. Ea enim minorum Græciæ civitatum conditio fuit, ut, donec sui juris essent, obscura, postquam autem variâ potentiorum dominatione huc illuc cœpissent jactari, fere nihil sponte suâ foris ederent. Verum hic, tanquam in exemplo vel singulari, animadvertere refert, quam simplices efficacesque causas eventus necessario secutus fuerit : quum fortunæ ipsius quasi leges non sine quadam voluptate tam facile perspiciantur, ac præterea dignoscere operæ pretium sit quid proprii Megarenses, quodam fato devincti, aut reluctando, aut etiam gnaviter sequendo, sibi vindicare potuerint. Duplicem autem cau-

sam fuisse liquet : alteram, quam Græco verbo dicere liceat, Δωρισμόν ; alteram, regionis ipsius et naturalis sitûs conditionem.

E Megaræ *Dorismo* præsertim exorta sunt ejus pæne constans ab Atheniensibus dissidium pertinaciaque horum odia, qui, ut proximi, gravius in eam incubuerunt. Megarenses enim, ubi non jam eis licuit integram servare libertatem, sese promptiores ad sequendas Lacedæmoniorum partes præstitere : itaque a Thucydide[1] inter Peloponnesios annumerantur. Quod si Cimonis tempore, quum Athenæ opibus et potentiâ maxime florerent, earum præsidia ultro vocaverunt[2], non multo post (Ol. 83, 1, a. c. 448) ab iis defecere, ut ad Doriensium societatem redirent[3].

Unde Atheniensium ira inexpiabilis : qui Megarensibus, ut gravissimo eorum commercia damno afficerent, omni suæ ditionis portu imperioque interdixerunt ; neque hoc decretum antiquaverunt, quo abrogato Peloponnesiacum illud bellum vitari aut certe differri potuit[4] ; et, bello inito, bis quotannis per annos septem Megaricum agrum populati sunt[5]. Scilicet cladis communis quâ

[1] I, 115.

[2] Thucyd. I, 103.

[3] Thuc. I, 114, Diodor. XII, 5.

[4] Thucyd. I, 67 et 139. Aristoph. Pax. 246. Schol. ad hunc locum. Plutarch. Pericl. 29-31.

[5] Thucyd. II, 31 ; IV, 66. Aristoph. Acharn. v. 762 sq. Diodor. XII, 44.

bellum illud funestissimum totam Græciam afflixit, haud minorem partem Megara sortita est. Neque tamen, quum sæpe singulæ civitates ad præsentem utilitatem tantummodo spectarent, Doriensi causæ fidem non servavit. Quum enim pacem cum Athenis Lacedæmonii sancirent, omni posthabitâ Megarensium curâ, quorum nomine bellum susceptum præ se tulerant, maluerunt tamen Megarenses in eorum societate perstare, quam ad Argivos fidem tentantes desciscere, quorum scilicet popularis reipublicæ status minus ipsis conveniret[1]. Haud absimili exemplo, multo serius, quum in Græciâ, tot dominationum vicibus fatigatâ, jam omnia confusa, frustra reluctantibus Achæis, ad exitium vergerent, iidem tanto suos mores suaque instituta studio colebant, ut a Bœotorum amicitiâ, quia horum ipsis displiceret respublica[2], discesserint.

Nec minor Megaricæ historiæ pars ad urbis situm pertinere visa est. Quæ, si primas in Græciâ obtinere valuisset, fere infinitos inde percepisset utilitatis fructus, seu ad bellum, seu ad commercii commoditatem. Nam in medio Græciæ, inter maria duo, posita, quam facillime copias in quamcumque Peloponnesi vel continentis oram voluisset, navibus traducere, et Orientis Occidentisque divitias in suos portus contrahere potuisset. At saltem illa sitûs opportunitas tantum Megaræ pro-

[1] Thucyd. V, 31.

[2] Δυσαρεστήσαντες τῇ πολιτείᾳ τῶν Βοιωτῶν. Polyb. l. XX, 6.

fecit, ut, etsi minores quam Corinthus, cui eadem aut etiam meliora contigerant, opes adipisceretur, tamen florentissimarum urbium in numero habita fuerit. Nempe ad Platæensem pugnam hoplitarum tria millia mittere valuit, quam multa vix universa Græcia Plutarchi ætate suffecisset[1]; neque, præter Sicyonem, minorum civitatum ulla alia eumdem numerum compleverat.

Sed maxime maritimarum facultatum copiâ Megarenses eminuere; qui, navali scientiâ, post Athenienses proximum, cum Æginetis parem gradum obtinebant[2], et tanquam navigandi peritissimi (ἀριστεύοντες ἐρετμοῖς) a poetis celebrabantur[3]. Itaque et in illo Salaminiaco bello, Solonis memoriâ nobilitato, ipsos Athenienses mari devicerant, cujus victoriæ tropæum prora ærea in Jovis æde servabatur[4]; et postea contra Persas ad Artemisium et Salaminem non aspernandum navium numerum[5] suppeditavere, etiam altero cornu eis ad Salaminem commisso[6]. In bello Peloponnesiaco, Lacedæmoniis omni navali apparatu carentibus, classem pro suâ parte instruebant[7].

[1] Herod. IX, 27. Plutarch. De defect. orac. Vol. 7, p. 629 ed. Reisk.

[2] Diod XI, 18.

[3] Theocr. Id. XII, v. 27. Simonid. ap. Schol. Theocr. ibid.

[4] Pausan. I, 40, 4.

[5] Scilicet viginti : multo pauciores quidem quam Athenienses et Corinthii, sed, exceptis Æginetis, plures quam singuli cæterorum populorum. Vid. Herod. VIII, 1 et 45.

[6] Diodor. XI, 18.

[7] Thucyd. II, 9 et 93; VIII, 3. Xenoph. Hellen. I, 1, 35.

Hoc etiam illud spectat, quod tam multas colonias Megara genuit. Plerasque quidem ad orientem emisit, qua fluctus propiores ultro eam sollicitare videbantur, scilicet in Thraciæ ac Bithyniæ littora : *Astacum*, in Bithyniâ conditam[1] (Ol. 17, 3) ; ad ostium Bospori, *Chalcedonem*[2] (Ol. 26, 2), et, paulo post[3] (Ol. 30, 3), in adversâ Europæ orâ, *Byzantium*, mirâ sitûs excellentiâ præstantissimum, unde cæci dicti qui, non eo viso, Chalcedonem prope adeo condiderant[4]; in Propontide *Selymbriam*[5] (Circa Ol. 27-30); denique, in Ponti littore, *Heracleam*[6] (Ol. 50, 3), et *Mesambriam*[7] (Ol. 70, 4).

In Siciliâ, Megarenses simul ac Theocles Atheniensis profecti[8], alteram *Megaram*, in antiquæ Hyblæ loco[9] (Ol. XI, 1) condiderunt : quæ donec a Gelone everteretur, suæ originis se memorem præstitit. Ipsa autem *Selinuntis* metropolis facta est. Memorentur etiam urbs parva *Trogilus* et major *Thapsos*, Megarensium coloniæ, vel prius quam Megara Hyblæa constitutæ[10].

[1] Raoul-Rochette. Histoire des colonies grecques. T. III, p. 233.

[2] Raoul-Rochette. Ibid. T. III, p. 273.

[3] Id. ibid., p. 297.

[4] Herod. IV, 144. Strab. VII, p. 320. Tacit. Annal. XII, 63.

[5] Vid. Scymn. Ch. v. 717.

[6] Raoul-Rochette. T. III, p. 300.

[7] Id. ibid., p. 275.

[8] Strab. VI, p. 267.

[9] Raoul-Rochette. T. III, p. 213.

[10] Id. ibid., pp. 326, 216, 219.

Quoscumque ob casus tot coloniæ proficiscerentur, eo tempore Megaram nobis fingimus civibus redundantem et quasi quodam vivido succo prægnantem. Quæ autem causa res Megarensium eo prosperitatis promoverat, eadem eis in perniciem versa est, postquam præcipuæ Græcorum civitates in majus auctæ et jam imperii cupidæ, minores dissidiis suis implicare et opprimere cœperunt. Isthmum enim et Megaridem necesse fuit ut sæpissime transirent primo Athenienses ac Lacedæmonii, quum in se invicem irruptionem facerent; postea et Bœoti, et Macedones, et Romani, quum singuli, jam Græciâ superiore potiti, in Peloponnesum manum injicere aggrederentur. Unde agrorum populationes ac direptiones urbium vicorumque; quibus effectum est, ut Megarenses neque a continuâ bellorum trepidatione respirare potuerint, neque satis ei fato resistere, quod ex Medici belli tempore secuti sensim eo deciderunt ut, Ciceronis ætate, inter illustria Græciæ rudera [1] Megara memoraretur.

Itaque situ suo in utrumque Megara deducta est, ut et opes magnas sibi compararet, et in clades frequentiores maturiusque exitium delaberetur. Nihilominus, quum arctissimis ejus finibus undique insisterent gentes potentissimæ, Bœoti scilicet, Corinthii Atheniensesque, valde mirum videtur, quod tamdiu libertatem moresque proprios servare, imo prospero rerum cursu frui valuerit.

[1] Vid. supra, p. 2.

Hoc autem quum Megaridis naturæ imputandum est, quæ non soli felicis ubertate exterorum populorum aviditatem vividius incitaret[2], ac præterea maria et montes, tanquam propugnacula, invadentibus opponeret, tum maxime Megarensium ingenio. Qui vires augere et se ipsi quâdam reipublicæ vi ac propriâ indolis virtute tueri potuerint. Quod ingenium jam pluribus indiciis expressum prodiit : nunc illud in intimâ Megarensium vitâ propius inspicere suscipiam.

[1] Eamdem causam attulit Strabo (l. VIII, p. 333) cur Doridis incolæ inter Æolios, et Athenienses inter Iones cum propriâ morum libertatisque possessione perstiterint.

CAPUT III.

DE MEGARENSIUM REPUBLICA ET CIVITATE.

—

Excellentissimi illius Platonis dialogi qui *Crito* inscriptus est, eum locum nemo est qui non memoriâ infixum habeat, quo Socrates Thebas aut Megaram aufugere recusat : quippe ubi, ut in civitatibus bene moratis (εὐνομοῦνται γὰρ ἀμφότεραι), suspectus victurus sit, neque erectâ fronte et vultu libero cives legum amantes aditurus, spretarum legum ipse sibi conscius.

Rursus apud Isocratem[1], Megarensium sapientia (σωφροσύνη), tanquam egregium exemplum, cum Thessalorum intemperantiâ et insolentiâ (ἀκολασίᾳ καὶ ὕϐρει) comparatur · nempe hos, licet terram maximam fertilissimamque et summas divitias sortitos, ac pæne infinitâ equitum peditumque multitudine pollentes, tamen eo devenisse, ut et bellis intestinis laborent et suas arces penes alios semper relinquant; illos contra, quamvis humilibus e principiis exortos, neque magnæ regionis, aut portuum, aut metallorum possessione divites, sed

[1] De pace, 183.

saxa aratro sulcantes potentibusque populis circumdatos, id esse consecutos ut maximas Græcorum domos ædificent, suoque more liberi vivant et pace continuâ fruantur.

Has autem laudes, Platonis Isocratisque auctoritate commendatas, pluris etiam feceris, si adverteris quibus ætatibus datæ fuerint : scilicet quæ bella, quæ omnis generis pericula calamitatesque jam in Megarenses ingruissent. Nonne enim admiratione quâdam illud dignum est, eos, quanquam eorum opes temporum necessitate imminutæ fuissent, in propriâ ingenii virtute habuisse unde fortunæ casibus superiores evaderent, et e mediocri rerum statu quamdam etiam educerent prosperitatem? Quod si necesse fuit ut quasi cæcâ bellorum procellâ vel inviti raperentur, majoribus etiam quam cæteri, ut diximus, periculis ob regionis suæ situm obnoxii, at certe, quod in eis fuit, obstitere ne externa illa perturbatio in intima suæ civitatis invaderet; imo insigni prudentiâ sæpe pacem servare voluerunt. Quæ prorsus nunquam adepturi fuisse videntur, nisi eximiâ morum excellentiâ freti et, si non legibus perfectis, saltem legum et civitatis mirâ et æquabili cum civium animis convenientiâ. Quid autem dignius cui attendas?

Quæ vero principia habuerit peculiaris illa Megarensium conditio si quis indagaverit, apparet eam serius tantummodo in republicâ productam esse; at civitatem eorum, priusquam firmo ordine componeretur, diversis motibus turbisque, sicut plerasque cæterarum, agitatam fuisse

atque cruentatam. Quantum enim historicis e testimoniis scire licet, bis saltem[1], quum Doriensi more respublica penes optimates fere ab origine esset, vis effrenata populi civitate potita est; nec minore odiorum furore per exsilia ac cædes potentiam optimates recuperavere. Imo etiam, antea[2] tyrannidem Theagenes, Cylonis Atheniensis socer, occupaverat. Illud autem constat, reipublicæ formam, quam dixere Græci Ἀριστοκράτειαν, Doriensi occupatione allatam, et pæne constanter viguisse, et, postquam Ol. 89, 1 postremo restituta fuisset[3], certe eo satis longo temporis spatio quod inde usque ad Isocrateæ orationis ætatem (circiter Olymp. 105) patet, perstitisse, semel frustra a nonnullis civibus infeste tentatam[4]: ita ut Platonis Isocratisque verba sibi invicem de proximis tempestatibus non immerito congruant, nec significatione careant, quum Megarensium civitas certe per annos plures quam sexaginta nullâ seditionum violentiâ immutata fuerit. Quin etiam haud vero alienum videtur, eamdem reipublicæ formam diutius durasse.

[1] Olymp. circiter 44; et Ol. 72 inter et 88. Plutarch. Quæst. gr. vol. 7, p. 184 Reisk. Aristot. Polit. V, 4, 3; V, 2, 6; IV, 12, 10. Thucyd. IV, 74; V, 31.—Vid. Meineck. Fragment. Comic. gr. Vol. I, p. 20 ss. Grysar. De Doriens. comœd. Welcker. Prolegom. ad Theognid., p. X, ss.

[2] Circ. Ol. 42. Aristot. Polit. V, 4, 5.

[3] Thucyd. IV, 74.

[4] Diodor. XV, 40. Ex hoc Diodori loco Reinganum (Das alte Megaris, p. 67) et Müllerus (Dor. III, 9, § 1) tunc temporis, scil. Ol. 101, 2, popularem reipublicæ formam, δημοκρατίαν,

Etenim ex oratione Demosthenis Περὶ Παραπρεσβείας, Olymp. 109, 1 habitâ, putari potest, tunc civem quemdam Ptœodorum, ope Philippi, sicut in aliis urbibus factum erat, tyrannide potitum : prius autem, *aristocratiam* non invalidam fuisse, quum ipse Ptœodorus « opibus, genere et auctoritate princeps Megarensium[1] » a Demosthene dicatur. Itaque de illâ *aristocratiâ* quid nosse liceat, inquirendum.

Conjici potest Doriensem aristocratiam, procedente

exstitisse, et ab optimatibus nonnullis frustra impugnatam esse, falso conjiciunt. Nam :

1° Ipsis Diodori verbis, « ἐπιχειρήσαντές τινες μεταστῆσαι τὴν πολιτείαν, » et, « κρατηθέντες ὑπὸ τοῦ δήμου, » neque forma ulla reipublicæ proprie indicatur, neque necessario significatur a plebe rerum dominâ optimates coercitos. Paulo supra in eodem capite (μετὰ τὴν συγχωρηθεῖσαν τοῖς δήμοις αὐτονομίαν) vox δῆμος sensu generali usurpatur, nedum proprie plebem optimatibus oppositam aut cives *democratiâ* utentes exprimat.

2° Si eâ tempestate democratia Megaræ vigeret, necesse erat ut priore aliquo tempore in locum aristocratiæ, Ol. 89 instauratæ, successisset : nusquam autem ab ullo scriptore res publicæ in hoc intervallo mutatæ memorantur.

3° Contra, per annos proxime præcedentes, Lacedæmoniorum, populari formæ non faventium, partes Megara secuta est. Per eam enim bis Agesilaus (Xenoph. Hellen. V, IV, 58), semel Cleombrotus (Plutarch. Pelopid. 13), ut amicam iter fecit.

4° Videlicet, quæ turbæ tunc apud Megarenses exortæ, statim compressæ sunt, non dissimiles earum videntur quas fere simul Corinthum expertam in eodem capite Diodorus narrat. Corinthi autem seditionis auctores popularis factionis fuisse ex eo inferendum, quod prius Argis exsulabant, ubi tunc democratia prævalebat, mox atroci illâ cæde *Scytalismo* sævitura.

[1] § 295, p. 436.

tempore, sensim in leniorem habitum conversam esse. Quum enim non, quemadmodum Spartæ, ita Megaræ respublica validissimis illis Lycurgi vinculis et formâ immobili inclusa esset, ac præterea populus, expulsis aut compressis nobilibus, bis in libertatem erupisset[1], verisimile est antiquorum institutorum sævitiam novis legibus temperatam fuisse et mitigatam. Neque aliter intelligeretur quî, regressis in potestatem optimatibus, solus terror tamdiu res tranquillas et, quoad per Græciæ universæ fata licuit, prosperas servare valuisset. Non profecto ostracismum, quem Megaræ usurpatum reperimus [2], democratiæ fuisse superstitem arbitrabimur : sed alia in mores gentis transmissa hæsere, neque absurdum est opinari, postquam *Periœci* in civitatem et in nobilium connubia per plures annos admissi fuissent, jam minore intervallo Megarensium classes inter se fuisse separatas. Quo progressu, quibusve temporibus singula aut consti-

[1] Quâ vel centum annos continuâ, usus esset. Quanquam difficile creditu est, et tamdiu, scilicet ab Ol. 44 ad Ol. 72, democratiam viguisse quæ mox in petulantissimam licentiam degenerasse traditur, et post tantum spatium nobiles recuperandæ per vim dominationi etiam pares fuisse. Itaque libenter admiserim, in tanto intervallo aliis motibus Megaram disturbatam fuisse; optimates potestate rursus potitos fuisse ac privatos. Huc fere redit quod Welcker. e Theognidis versu 735* conjicit, alterum post Theagenem tyrannum exstitisse. Silet historia.

[2] Schol. Aristoph. Eq. 851. Phavorinus in ὀστρακίνδα.

* Κυβερνήτην μὲν ἔπαυσαν
ἐσθλόν.....

tuta aut mutata fuerint, notari nullo pacto potest; imo etiam pauca admodum de universâ republicâ nobis a scriptoribus antiquis tradita sunt. Attamen id nobis contigit ut, quâ tempestate vividissima etiam optimatium superbia plebi ad libertatem emergenti ægre concederet, egregius poeta Theognis de patriæ institutis et moribus quædam nobis transmitteret. Quæ jam in excellentissimo Welckeri opere[1] ita collecta sunt et illustrata, ut mihi fere nihil aliud quam e paratâ materiâ quædam desumenda sint.

Quam mera et dura ab origine aristocratia Megaræ fuerit, vel ex eo inferendum, quod Theognis, ipse generoso sanguine ortus, adeo ingenuâ etiam tum superbiæ vi plebem despiciat, eâ nempe ætate quâ respublica tam longe ab initiis provecta jam res novas violentasque mutationes experta sit. Scilicet, quemadmodum in aliis regionibus, ita in Megaride, e Doriensi occupatione victores victique exstitere : quorum posteri, a principio discreti, belli jure in cives, urbis incolas, et in plebem rusticam distributi sunt. Unde ordines, omissis servis, duo (non plures Theognis indicat) : *boni* (ἀγαθοί, ἐσθλοί), et *mali* (κακοί, δειλοί); quæ verba a poetâ pæne nunquam sensu morali usurpantur. *Malorum* autem nomine designari videntur homines fere in eamdem conditionem redacti atque apud alias Dorienses gentes, Sicyone *Corynephori* (Κορυνηφόροι a κορύνη *fustis*, αἰχμηταῖς nobilibus

[1] Prolegomena ad Theognidem.

oppositi), Argis *Gymnesii* (Γυμνήσιοι à γυμνός, *nudus*), in Thessaliâ *Penestæ* (Πενέσται à πένομαι, *victum labore quæro, pauper sum*), apud Cretes *Clarotæ* (Κλαρῶται à κλῆρος *sors*), etc. Quorum singulos, liberos inter et servos mediam conditionem obtinentes[1], Lacedæmoniorum nunc Periœcis nunc Helotibus similiores fuisse existimaverim, fortasse et diversorum temporum habitâ ratione. Megaræ proprium ordinis inferioris nomen apud Theognidem et alibi frustra requiras : Aristoteles[2] πλουσίους aut γνωρίμους et τὸν δῆμον dicit. Neque ex eo quod Heracleæ, in Megaricâ coloniâ, *Dorophori* (Δωροφόροι) plebeii dicebantur, idem vocabulum apud Megarenses in usu fuisse satis apte conjicias. Probabilis autem ea Welckeri opinio est, Megaræ hæc nomina ἀγαθοὶ et κακοὶ fuisse in consuetudinem quotidianam accepta. Quod admittere minus te pigeat, si attendas quam multa exempla sensuum similium ex Homero, Hesiodo, Thucydide, aliisque colligi queant[3], apud quos οἱ ἀγαθοί, ἄριστοι, καλοὶ κἀγαθοί, χρηστοί, generosos et potentiores sæpissime significant; aut tantummodo quas radices in se contineant voces ἀριστοκράτεια et *optimates*.

Quocumque nomine appellata fuerit, pars humilior Megarensium primo extra urbem relegata fuerat, arvis colendis aut pascendis pecoribus ad fluvii vicini ripas, aut in saltibus montium addicta. Nam, et fluminis accolæ

[1] Pollux III, 83.
[2] Polit. V, 4, 3; V, 4, 5.
[3] Vid. Welcker. pp. XXII-XXX.

(παρὰ τὸν ποταμὸν ἐπινέμοντες) ab Aristotele dicuntur ii quorum ope Theagenes tyrannidem, divitum pecoribus trucidatis, occupaverat[1] : unde facile factio quædam Παραποταμίων cum Atheniensi Ὑπερακρίων factione, Pisistrati adjutrice, contuleris ; et vi singulari a Theognide novi rerum domini designantur : «qui olim caprarum pellibus latera cingebantur et extra urbem hanc cervorum more degebant[2].» De his versibus Welckerus docte meminit Κατωνακοφόρους[3] quosdam Sicyoniorum servos dictos fuisse, et, Pisistratidarum tempore, Atheniensium homines agrestes, sed libertatis amantiores, veste vili ridiculâque eis impositâ, quo magis eos urbem frequentare puderet ; neque aliter, apud Spartanos, Helotes galerum e corio (κυνῆν) et pelles (διφθέραν) pro veste induere coactos[4], et Corinthi Κυνοφάλους[5] quosdam nomine ignominioso notatos fuisse[6].

Apud Megarenses, vulgus illud rusticum « neque jura, neque leges noverat[7], » nedum in civitatem adscisceretur et publica munera obiret. Quis autem *bonorum* suam filiam ulli istius conditionis homini ducendam

[1] Politic. V, 4, 5.
[2] V. 21 edit. Welcker.
[3] A νάκος *vellus*. Κατωνάκη, vestis ex lanâ densâ, pelle juxta fimbriam assutâ (Pollux. VII, 68.), quæ hodierni græcorum amictûs cujusdam, φλοκάτης, haud dissimilis fuisse videtur.
[4] Athenæ. XIV, p. 657.
[5] Galero ex canis caudâ cristato insignes. Hesych.
[6] Vid. Welcker. p. XXXV.
[7] Theogn. vers. 20.

dedisset? Nam : « Arietes, et asinos, et equos quærimus generosos, a quibus bona proles gignatur[1], neque e scillâ nascuntur rosæ aut hyacinthus[2]. »

Quemadmodum a connubiis, ita a communibus mensis (Συσσιτίοις) prohibitos esse plebeios pro certo habendum est. Quæ *Syssitia* Megaræ, velut Spartæ, in Cretâ, Corinthi et in aliis Doriensibus civitatibus[3], exstitisse Theognis testis est[4]. Atque haud scio an potius isti ordinis tenuioris homines quam servi intelligendi sint, quum adolescenti ad decentiam informando cavendum exemplum proponit « malum operarium, hominem unius diei (scilicet sine ullâ prosapiâ), ventri servientem,

. . . μή σε βιάσθω[5]
γαστὴρ ὥςτε κακὸν λάτριν ἐφημέριον,

eodem fere modo quo Spartanis juvenibus servi alicujus ebrii spectaculum pro præcepto adhibebatur.

Itaque non mirum est, si e tam abjectâ conditione in libertatem egressi, violento iræ impetu jura diu sibi negata plebeii occupavere : scilicet, perturbato civitatis ordine, fortunas civium diripuerunt ac tributa conferre recusaverunt,

[6] χρήματα δ' ἁρπάζουσι βίῃ, κόσμος δ' ἀπόλωλεν,
δασμὸς δ' οὐκέτ' ἴσως γίγνεται ἐς τὸ μέσον.

[1] V. 1.

[2] V. 845.

[3] Muller. Dor. II, 55.

[4] Ἐν μὲν συσσίτοισιν ἀνὴρ πεπνυμένος ἴσθι.
. v. 269.

[5] V. 313.

[6] V. 637.

Quæ jam antea facta erant, quum, expulso Theagene excussâque optimatium dominatione, pauperes primo, divitum domos ingressi, cœnarum sumptuosarum sibi partem rogasse tradebantur, omnia, si quis negasset, per vim rapturi, mox edicto consuluisse ut sibi restitueretur quod ex ipsis fœnus creditores percepissent; quæ res παλιντοκία dicta est[1].

Attamen suspicari licet Theognidis ætate, a populo minore sævitiâ actum esse, et, quamvis omnes adversæ factionis homines eodem odio et contemptu ipse confundat, ex plebeio sanguine multos, vel ante res novas, ad meliorem fortunæ statum sese promovisse, Lacedæmoniorum *Periœcis* quam *Helotibus* similiores. Etenim tunc, quoque modo conversis fortunarum vicibus, eo nobiles inopiâ inducuntur, ut cum illis per necessitudines sponte jungantur : « bonus e malâ domo, malus e bonâ uxorem duxit : genus miscuerunt divitiæ (πλοῦτος ἔμιξε γένος[2]). »

Ob hæc iram et indignationem cohibere nequit Megarensis poeta. Ipse, patrimonio ac dignitate orbatus, in exsilium etiam actus, et paupertatis « quæ corpus et animum dedecorat et turpia multa vel invitum docet[3], » insuetâ necessitate oppressus, interdum dolore ita exacerbari videtur, ut in querelas votaque sæva incredibili ferociâ erumpat : « O Jupiter Olympie, mihi felix votum

[1] Plutarch. Qu. gr. Vol. 7, p. 184. ed. Reisk.
[2] V. 7-8.
[3] V. 650.

perfice : da mihi pro malis et boni aliquid experiri. Moriar potius, si nullam malarum curarum requiem inventurus sum, sed mœrorum in vicem mœrores sortiturus ! Ita enim fato visum. Non mihi lucet ante oculos pœna hominum qui meas fortunas habent vi raptas : ego autem torrentem transivi (tanquam) canis nuda, omnium inops rerum, quas fluminis violentia excussit. Utinam horum atrum sanguinem mihi bibere liceat : bonum vero numen in eos præceps irruat, ut hæc secundum mentem meam exsequatur[1] ! » Sed præterea tantæ perturbationes ei pro patriâ, quam summâ pietate diligit, sollicitudinem et quemdam quasi religiosum fati terrorem injiciunt : « Cyrne, prægnans est hæc civitas, » iteratâ voce exclamat, veritus ne virum pariat aut « malæ Megarensium insolentiæ ultorem, » aut ipsum « truci insolentiâ subnixum ducemque funestæ factionis[2]. » Atque alibi : « Nos candida vela demisimus et temere per noctem tenebrosam in alto ferimur. Nolunt isti se antliæ adhibere : supra autem utrumque latus mare insilit. Profecto difficillima est salus : at dormiunt.... Metuo ne fluctu navis immergatur[3]. » Simul terribile illud lacrymisque fetum adversus Medos bellum præsagit[4], cujus ingruentis formidine Græcia percelli cœperat[5].

[1] V. 777-786.
[2] V. 699 ; 703.
[3] V. 731 et sq. Cf. v. 711 ; 721, etc.
[4] V. 743.
[5] Herodot. VI, 112.

Quomodo autem gubernandæ reipublicæ ruinæque arcendæ apta sit plebs inani mente (κενέοφρων[1]) ac servili ingenio (φιλοδέσποτος[2]) prædita, et digna quam « calce obteras, gravique jugo supposità cervice, acuto stimulo ferias[3]? »

Quos sensus sibi proprios habuerint in antiquitate nobiles, nusquam profecto aut vividius aut variâ magis imagine expressos, quam apud Theognidem invenias. Itaque non mirandum, quod, ab ejus carminibus profectus, eo Welkerus devenerit, ut totam fere hanc materiam, philosophorum habitâ ratione, tractaret. Quod ad solum Theognidem spectat, ex ejus versibus multa delibando, quamdam *Nobilis* viri effigiem componere liceret, cujus ad exemplum se tunc optimates informassent. In quâ quidem nonnihil cavendum : multa enim omnibus communia, proprie nobilibus, quum propter ingenitam sanguinis virtutem, tum etiam propter adjunctam educationis beneficium, cujus exsors vulgus erat, attribuit poeta ; alia autem aut, dolore instinctus, sævius, aut, temporum coactus necessitate, prudentius præcipit. Ex his tamen omnibus constat imago quædam vitâ spirante præsens, suâque formâ et singulari dignitate insignis. Quam per partes sigillatim describere, longum esset et abs re alienum ; nobis tantummodo in Megarensi republicâ ante oculos prodeat vir ille *Nobilis*, quem,

[1] V. 717.
[2] V. 719.
[3] V. 717.

tanquam optimum omnium Theognis proponebat : scilicet constantiâ et quâdam ut animi, ita habitûs majestate maxime conspicuus. Deos omnipotentes eâ pietate veneratur, ut eorum dona, qualiacumque sint, et cæca fati decreta, æquo animo experiatur, non certamen inutile aggressus, sed vi intimâ fretus quâ secum semper ipse constet : eo enim inter varias fortunæ iniquæ vicissitudines vere *bonus* et malo isto vulgo superior arguetur, quod neque in prosperis rebus lætitiâ insanâ elatus videbitur neque in adversis dejectus, et ad vilia pravaque quæstûs amore et malesuadâ paupertate coactus[1]. Nam *modum* (τὸ μέτρον), novit[2]; ideoque factis dictisque nihil intempestive et indecenter admittet, silentio sæpissime usus, quod stulti ignorant : nempe « oculos et linguam et aures et mentem intimo in pectore apud sapientes natura condidit[3]; » neque indecorâ trepidatione properat, sed salvâ gravitate observat quo res quæque tempore incipienda sit[4]. Nimirum ea sunt quibus vir nobilis virtutem (ἀρετήν), hoc est excellentiam consequetur[5].

Longius forsan a proposito, poetæ insistendo vestigiis, erravisse visus ero : sed illud præ me feram, me nihil aliud quam mores ac sensus quosdam e peculiari

[1] V. 561-612. 105-106.
[2] V. 639-642. 477. 33.
[3] V. 467. 643.
[4] V. 631. 633. 446. 460.
[5] V. 632. 907.

Megaricæ civitatis statu exortos exposuisse. Nunc autem, ut ad rem regrediar, ex ipsis Theognidis carminibus apparet, inter simultates odiaque illud effectum esse, ut duo Megarensium ordines, minore intervallo dirempti, jam æquioribus inter se legibus viverent. Non jam e Periœcis tantummodo vel etiam ex humilioribus, sed e civibus constabit factio popularis : inter quos fuisse illos Atheniensium amicos credendum est, de quibus Thucydides[1] loquitur. Quamobrem, quum postremo (Olymp. 89, 1) *democratia* Megaræ deleta est, non jam in ejus locum successit vetus illa *aristocratia,* vera gentis cujusdam dominatio, sed potius ὀλιγαρχία, id est paucorum inter cives cæteros auctoritas[2].

Hæc generum confusione et fortunarum mutationibus parata sunt. Quibus causis id etiam adjungendum videtur, quod non, veluti Spartæ, invictâ contumaciâ nobiles se ab omni vel mercaturæ labore, vel alio abstinuerunt. Eos testatur idem Theognis victum propriâ industriâ sibi paravisse : « Oportet, Cyrne, per terram amplumque maris dorsum duræ paupertatis remedium quærere[3]. » Unde evenit, ut communi quæstûs faciendi ac præsertim navigandi consuetudine, tanquam necessario vinculo, conjuncti inter se utriusque ordinis Megarenses fuerint.

[1] L. IV, 66.

[2] Ἐς ὀλιγαρχίαν τὰ μάλιστα κατέστησαν τὴν πόλιν... Αὕτη ὑπ' ἐλαχίστων γενομένη....

Thucyd. IV, 74.

[3] V. 537. Cf. v. 344.

Itaque mare, Megaridem ab utroque latere complexum, haud minimâ vi Doriensem aristocratiam coercuit; præterea magno Megarensibus auxilio fuit, ut sese tamdiu privatis opibus sustentarent. Quî enim aliunde, jam fractâ externâ potestate, res prosperas sibi fecissent, nisi strenuam labore et negotiis vitam agere consuevissent?

Non tamen credendum est eos, postquam ita mitigata fuisset Doriensis Megarensium superbia, jus civitatis in urbe suâ vilius habuisse: invitantibus enim Lacedæmoniis ut Hermonem navarchum, qui cum Lysandro ducentas Atheniensium naves ad Ægos flumen ceperat, civitate donarent, responderunt, « si prius vidissent ipsos eum Spartiatam fecisse, tum et se illum Megarensem facturos[1]. » Nec minore sermonis dignitate, quum magnus Alexander sibi ab ipsis ultro collatam civitatem parvi facere videretur, neminem antea nisi Herculem eodem apud se honore ornatum prædicaverunt[2].

Hæc de summâ et de vicibus Megaricæ civitatis. Cujus intimum ordinem per partes descriptum exponere non licet, deficientibus veterum testimoniis. Longissime abest ut omnia instituta cognoscamus; imo de singulis eorum quæ videntur exstitisse, perpauca affirmare nobis in promptu est. Nam senatum Megarensium fuisse, tanquam apud omnes fere Græciæ populos, dubio vacat;

[1] Demosthen. Contr. Aristocr. § 211, p. 691. ed. Reisk.
[2] Plutarch. De Monarch. Vol. 9, p. 285. ed. Reisk.

quam multi vero senatores, ex quo ordine, utrum e censu quodam modico, ut Athenis, an solum ex ætate, ut Spartæ[1], electi fuerint, quæ eis potestas, variis reipublicæ temporibus, concessa : hæc omnia omnino nos fallunt.

De magistratibus nihil certius. A remotissimâ ætate, ante Olymp. 26, quâ Chalcedon, Megarensis colonia, condita est, Megaræ *Æsymnos* aut *Æsymnetas,* annuos magistratus, exstitisse, quum ex Æsymnetis Chalcedoniis, tum ex Æsymnio Megarico conjiciendum jam indicavi[2]. At qui fuerunt illi Æsymnetæ? Et alibi Æsymnetæ reperiuntur : hoc nomine apud Homerum dicti certaminum judices[3] ; et urbium Cumarum et Tei Æsymnetes magistratus in illâ[4] idem quod ἄρχων, in hâc[5] fere tyrannus fuisse videtur. Sed ad Chalcedonios Æsymnetas magis nos referamus. De quibus Bœckhius ex titulo quodam[6] acute hæc interpretatus est : scilicet eos ex senatoribus mense quoque electos fuisse, quibus præessent, fere eodem modo quo *Prytanes* Atheniensium ; præterea cum *Rege eponymo* anni designandi causâ decretis præmissos.

1. Quum tres Doricæ tribus, vel iisdem quibus Spartanæ nominibus dictæ, Megaræ reperiantur (Cf. infra, p. 60), forsan et Megarensem senatum senatûs Spartani fuisse similem arbitrari licet.

2 Vid. supra, p. 19.

3 Cf. Hesych. s. v.

4 Aristot. apud. Etym. M. s. v.

5 Bœckh. Corp. Inscr. Gr., N° 3044.

6 N° 3794.

Quæ Megaræ omnino adhibere ut temerarium videri potest, ita animadvertere operæ pretium est alia Chalcedoniis et Megarensibus communia fuisse comprobatum. Quemadmodum in decreto Chalcedonico, ita Megaræ *Reges Eponymos* plures tituli nobis offerunt, Pasgadam (vel Pasiadam[1]), Niciam, Apollonidam, aliosque, ita quoque[2] idem magistratus, *Scriba senatûs et populi* (Γραμματεὺς βουλῆς καὶ δήμου), forsan senator ipse, obsignandis inscribendisque decretis præfectus videtur[3]. Megaricum Æsymnium curiam fuisse non obliviscendum[4].

Illud obstat, quod nomen Æsymnetæ nusquam apud Megarenses occurrit; imo etiam nomen aliud, *Strategi*, et in eodem quo *Rex* et *Scriba* decreto et in aliis invenitur. Quod autem fortasse discrimine temporum explicari potest : olim Æsymnetas in Æsymnio cum Senatu deliberasse; recentiore ætate, quum hoc decretum ad tempus Olympiade 102 posterius, teste Bœckhio[5], per-

[1] Bœckh. N° 1052. Lebas Voy. Arch. T. II. Mégar. N° 17, 26-34.

[2] Bœckh. N° 1057.

[3] N° 1052. Prima et postrema verba hæc sunt : Ἐπὶ βασιλέος Πασγάδα (Bœckh. leg. Πασιάδα), ἐγραμμάτευε βουλᾷ καὶ δάμῳ Ἵππω[μ] Παγχάρεος, ἐστρατάγουν Διονύσιος Πυῤῥίδα, Δαμέας Ματροκλέος, Ἀντίμα[χ]ος Ε[ὐ]μάχου, Μελάσιος Πασίωνος, Ἑρκίων Τέλητος.

....

[Ἀγ]γραψάτω δὲ τόδε τὸ δόγμα ὁ γραμματεὺς τοῦ δάμου εἰς στάλαν καὶ ἀνθέτω εἰς τὸ Ὀλυμπιεῖον.

[4] Paus. I, 43, 3.

[5] Hoc decretum Megalopolitani cujusdam honorandi causâ latum erat. Megapolis autem Olymp. 102, 2 condita est.

tineat, eorum vices ac fere munus, mutato nomine, strategos subiisse; et simul forsan, relicto Æsymnio, alterâ curiâ senatores esse usos : eâ videlicet, quam in monumento Timalci, Megarei filii, constitutam ex Pausaniâ [1] didicimus.

Strategi, ex eâdem hâc inscriptione, reipublicæ administrandæ tunc præfuisse videntur, ut quondam, abrogatâ regiâ auctoritate, Æsymnetæ. Strategos inscriptos fuisse quinque Bœckhius animadvertit, qui numerus Spartanorum Ephoris attributus erat; ad hoc in quinque partes Megaridem olim, quum per vicos (κατὰ κώμας) habitaretur, teste Plutarcho [2] divisam, atque incolas in quinque nomina distributos : Ἡραέας, Πιραέας, Μεγαρέας, Κυνοσουρέας, Τριποδισκαίους. Num inde idem inferendum est quod Bœckhius de Chalcedone concludit? Qui, quum in titulo Chalcedonico singulis Æsymnetarum nominibus tribuum variarum nomina adjuncta esse videantur, ex tribu quâque unum Æsymnetam et parem senatorum numerum electos esse existimat. Num similiter harum quinque partium cuique Strategorum unum suppetere concessum fuerit, id prorsus dubium est. His enim quinque nominibus Megaricæ tribus significari non possunt, quoniam aliunde scimus idem quod Spartanis, Megarensibus accidisse, qui in tres Doricas tribus fuerunt partiti, Hylleos, Pamphylos et Dymanes; quibus Adriani ætate

[1] Paus. 1, 42, 3.

[2] Qu. gr. Vol. 7, p. 183.

quarta, Adrianidæ, addita est. Jam notandum est in hoc, de quo disputatur, loco rem valde antiquam ac pæne fabulosam a Plutarcho narrari; atque adeo ex ejus verbis libentius interpreter, in vetustissimis temporibus, priusquam urbs Megara regionis caput exstrueretur, Megaridem ex quinque provinciis constitisse æquo jure inter se viventibus et quâdam societate tantummodo conjunctis: non secus atque in Atticâ, priusquam ibi Iones, Pelasgico provinciarum fœdere dirempto, e diversis vicis unam civitatem componerent.

Utcumque res est, ut ad certiora redeam, ex aliquot titulis novimus[1], sub Romanâ dominatione, strategum unum proprie *Urbis strategum* dictum fuisse: videlicet civili rerum publicarum administrationi ita præpositum, ut senatûs populique decreta exsequenda curaret.

Illud etiam, sive de Æsymnetis, sive de Strategis non omittendum est, eos unà collectos hoc nomine Συναρχίαι, si Æneæ Tactico[2] fides adhibetur, Pisistrati tempore appellatos fuisse. Quod nomen apud Ægosthenitas menstruis magistratibus, rempublicam quâ Aristoteles[3] indicat ratione gerentibus, proprie impositum in titulo[4] Ægosthenæ præcipuo invenimus; ubi etiam Scriba et Rex Eponymus citantur.

[1] Bœckh. Corp. Insc. Gr. N° 1072, 1073, 1074, 1079.

[2] Poliorc. 4.

[3] Politic. IV, 11 (14), 3. Cf. Polyb. IV, 4.

[4] Welcker. Kleine schriften. T. III, p. 242. Lebas, Voyag. Archeol. Part. II, p. 5.

De Megarensi *Hieromnamone*, forsan Neptuni sacerdote simul et publico magistratu, quid suspicandum videatur, jam supra[1] exponendum fuit.

Qui fuerint quidam Πρόβουλοι qui, prævalente democratiâ paulo ante postremum optimatium reditum, belli Peloponnesiaci tempore, summum imperium intus exercuisse ex uno Aristophanis versu[2] videntur, non satis liquet. Neque majore fiduciâ quidquam de *Prytanibus* ausim asseverare, quos exstitisse indicio est *Prytaneum* inter Megarica monumenta a Pausaniâ[3] nuncupatum. Quos tamen ad Ionicam originem potius retulerim, aut certe ab Atheniensibus Prytanibus non multum abfuisse crediderim.

Alia quædam magistratuum genera ex inscriptionibus colliguntur : quorum in numero *Agoranomi*, Romanorum Ædilium fortasse non dissimiles. Nam eorum unus[4], Curtius Proclus, Romano more, munera Megarensibus, viginti gladiatorum paribus productis, ediderat. Quum idem Megaræ *Bœotarchus* bis fuisse dicatur, patet, Romanis imperantibus, Megarenses Bœotis adjunctos fuisse ut eâdem administratione regerentur. Denique, præter alia nomina honoris gratiâ in Proclum illum tanquam in civium principem collata, Προστάτης διὰ βίου appellatur ; quo non facile discreveris utrum

[1] Vid. p. 30.
[2] Acharn. v. 755. Vid. Otf. Muller. Dor.
[3] Paus. I, 43, 2.
[4] Bœckh. Corp. Insc. Gr. N° 1058.

ærarii civilisque administrationis summus Procurator significetur, an Urbis Præses, Megaræ ipsius dignitatem repræsentans ac vicem tenens : nimirum in illo Adriani jussu instituto *Panhellenum Concilio,* cujus vel *Princeps* (πρῶτος Πανέλλην), quoque nominatur.

Ne quidquam in tantâ inopiâ negligatur, memorentur etiam *Gymnasiarchi*, annuum munus obeuntes[1].

De Megarensium legibus omnino nihil ; neque quomodo judicia constituta fuerint, nobis fingere possumus, quum unum illud noverimus, Demosthenis[2] tempore Trecentorum judicum tribunal de causis publicis cognovisse.

[1] Id. ibid. N° 1053, 1054.

[2] Demosth. Περὶ Παραπρεσβείας. § 295. p. 436.

CAPUT IV.

De Megarensium vita privata.

—

§ I. *De eorum commerciis atque opibus.*

Unde opes sibi Megarenses acquisiverint si quæritur, primum occurrit maritimum commercium, cui per Nisææ Pegarumque portus maria duo patebant. Quam navigandi peritiâ celebres, quam multarum coloniarum conditores fuerint Megarenses, jam novimus. Constat eos, licet a principio vicini Æginetæ, Athenienses atque Corinthii, aut arte et industriâ certando, aut etiam vim infestam inferendo, eis obstiterint, navali apparatu floruisse. Sed illud fato rerum evenit, ut, postquam Athenienses imperium per maria pæne infinitum prolatassent, maxime, ut proximorum, comprimerentur maritima Megarensium commercia. Itaque, dum Athenæ totius Græciæ tanquam emporium fiebant, Megara, quæ nec portus externos [1] ditioni subigere, nec longinquas colonias suæ auctoritati retinere addictas valuisset, jam

[1] Isocrat. l. c.

minus gentes exteras ad comparandas mutandasve merces in sua mœnia convocavit : potius, quoties licuit, oras externas navibus ipsa petiit, in quas ea præsertim inferret, quæ ex ipsius regione provenissent.

Quæ autem foris vendenda Megarenses emiserunt? Nimirum ea magis quæ arte suâ effinxerant, quam quæ soli ubertas suppetebat. Quanquam vicinis Atheniensibus multa per terram suppeditabant. Unde fit ut, in Aristophanis *Acharnensibus,* Megarensis forum, quod ei Dicæopolis contra legem rursus aperuit, adeo effuse salutet : « Salve forum atticum, gratum Megarensibus! Te, ut matrem, desiderabam, ita me Jupiter amet præses amicitiæ [1] ! » Peloponnesiaci enim belli ab initio, Atheniensium in Megarenses et decretis et incursionibus effectum est, ut hi, quibus sui desint quum ex agris, tum e commercio reditus, fame laborent proverbio etiam celebratâ, sicut exprimit vox Μεγαρίζειν, famem Megaricam perpeti [2].

Megaris, montibus horrida ac fere nusquam in planitiem porrecta, solum minime pingue (λεπτόγαιον [3]) et colentibus triste (παράλυπρον [4]) præbebat, non tamen Megarensium pertinaciâ invictum. Eos enim Isocrates [5] ostendit per pacem saxa feliciter arantes (πέτρας γεωρ-

[1] Aristoph. Acharn. v. 729.
[2] Schol. Aristoph. Acharn. v. 822. Suid. s. v. Μεγαρίζοντες.
[3] Thophr. H. Pl. II, 9.
[4] Strab. IX, p. 393.
[5] Isocrat. l. l.

γοῦντας); ita ut eis mire conveniant hæc Menandri[1] carmina : « Pax agricolam, etiam in saxis, bene nutrit; bellum autem, etiam in planitie, male,

Εἰρήνη γεωργὸν κἂν πέτραις
Τρέφει καλῶς · πόλεμος δὲ κἂν πεδίῳ κακῶς. »

Proinde non solum unde sibi victum sufficerent, frumentum metebant, sed etiam unde venderent Atheniensibus[2]. E frumento contrito nobilis *alica* (χόνδρος), genus quoddam potionis, Megaræ parabatur[3].

Ut agris colendis, ita curandis suum[4] ac præsertim ovium pecoribus intenti erant Megarenses. De quibus notum illud Diogenis dicterium, qui, pecudes eorum videns pellibus vestitas, pueros autem nudos : « Malim, inquit, Megarensis aries esse quam filius[5]. »

Cereri *Oviferæ,* Μαλοφόρῳ, apud Nisæam templum fuisse sacratum jam alii[6] animadverterunt. Ex ovium lanâ vestimenti quoddam genus, ἐξωμίδα, Megaræ fabricabatur, vile, unâ manicâ instructum, quod humilioris ordinis homines aut servi induere solebant[7]; neque multum dissimile forsan κατωνακῶν illarum de qui-

[1] E. Menandr. Gnom. 6. ed. Boisson.
[2] Aristoph. Acharn. v. 758.
[3] Athen. III, p. 489. ed. Schweigh.
[4] Polyæn. Stratag. IV, 6, 3. Ælian. Histor. anim. XVI, 36.
[5] Diogen. Laert. IV, 2, 41. Ælian. Var. Hist. XII, 55.
[6] Reinganum, Das alte Megaris, p. 46. Forbiger in Encyclop. Real. artic. Megaris.
[7] Schol. Aristoph. Lysistr. v. 663. Vesp. v. 444.

bus supra [1] diximus. Has *exomidas* conficiendo plerique Megarensium victum quærebant [2]. Neque a pretiosioribus vestibus texendis fortasse abstinebant, quum ipsi hâc metonymiâ « *Megarensium palliola*, Μεγαρέων τὰ χλανίσκια, » ab Aristophane [3] subridicule significentur. Meminerimus etiam a Megarensi quodam Nicia artem fulloniam Plinio [4] auctore inventam esse.

Omnia quæcumque Megarenses aut ipsâ naturâ præbente accepta, aut admotâ arte perfecta habuerint ac foris vendiderint, maxime, ut necesse erat, ex Aristophane, Plinio et Athenæo duo doctissimi viri [5] collegerunt. Quæ tamen et ipse post illos recensere et denuo edere cogor.

Scilicet ex agris *olera* atque imprimis *bulbos alliaque* quum ob saporem, tum ob virtutem veneream celebria [6] Megarenses legebant. Nec minore famâ celebrabantur et Megarici *raphani* [7], vel delicatorum gulæ reservati, et *Phibaleæ* [8] *ficus* [9], quæ siccatæ maxime valebant.

[1] Cf. p. 50, n. 3.
[2] Xenoph. Memor. II, 7, 6.
[3] Acharn. v. 519.
[4] Hist. Natur. VII, 57.
[5] Reinganum et Forbiger in operib. laud.
[6] Schol. Aristoph. Pax. v. 248. Plin. Hist. Nat. XIX, 30. XX, 40. Ovid. Remed. Amor. v. 799. Nicander apud Athenæ. II, p. 64. ed. Schweigh.
[7] Apollodor. Caryst. apud Athenæ. l. VII. c 6, p. 281 Cas.
[8] Athenæ. III, p. 295, 296 ed. Schweigh.
[9] A *Phibali*, Megaridis pago, ad fines atticos sito.

Et alius vicus, *Phalycon,* ad ficus gignendas felix tradebatur [1]. Quamvis non uvarum ferax Megaris esset, in quamdam notitiam venerat *vinum Ægosthenense* [2]: Ægosthenæ Bacchi cultum a Melampode institutum novimus [3]. Nisæam rosis suis claram [4] ne omittamus; neve Oniorum jugorum et Citheronis clivos arboribus vestitos ad navigia struenda idoneis. Megaricæ *cicutæ* [5] vis magna inesse tradebatur. Quemadmodum montium radices venantibus feras, ae præsertim *lepores* [6], sic piscantibus mare multa piscium genera præbebat : inter quæ, *aphias* [7] et *glaucos* [8], illas numero, hos gustu nobiles. Quibus, vel fabulæ gratiâ, adjungantur marinæ testudines quæ ad saxa Scironia viatores a Scirone in mare detrusos devoraturæ exspectabant.

Denique hæc tria, ut quæ Megarensium fortunas alerent, imprimis memoranda sunt : *Nisææ salinæ,* unde sal acer et siccus exibat, servandis carnibus aptus [9]; *argilla* quædam, nimirum e planitie *Cimoliâ* dictâ præcipue ducta, ex quâ nota Megaræ vasa fingebantur, ac

[1] Theophrast. Hist. Plant. II, 8, 1.
[2] Athenæ.
[3] Cf. p. 31.
[4] Nicand. apud Athenæ. XV, p. 683 Cas.
[5] Plin. Hist. Nat. XXV, 95.
[6] Aristoph. Acharn. v. 520.
[7] Plutarch. De Profect. virtut. sent. Vol. 6, p. 310 Reisk
[8] Athenæ. l. VII, p. 295 Cas.
[9] Plin. H. N. XXXI, 41. Aristoph. Acharn. v. 520. 760. Schol.

maxime πιθάκνια [1], crateres ad dolioli speciem informati; *lapis conchites* (λίθος Κογχίτης [2]), conchis marinis plenus, nec duritiâ nec candore [3] insignis, ex quo multa Megarenses in urbe suâ ædificaverant, non satis firmam ac sibi constantem molem ævo oppositura, si quis e recentibus hodiernarum domorum ruinis conjecerit.

§ II. *De Megarensium moribus.*

Ex his regionis suæ opibus, licet mediocribus, quantum Megarenses ad res suas prospere gerendas profecissent, jam supra animadvertimus. Inde etiam intus bene vivendi facultatem sibi paraverant. Domos Græcorum maximas [4] habitabant; præterea conviviis lautè instructis utebantur. Et alibi [5] memoratum est, quo eos crimine Tertullianus carpserit pæne verba Empedoclis de Agrigentinis mutuatus: «Megarenses obsonant quasi crastino die morituri [6].» Attamen hoc dicto illud tantum comprobari admiserim, illos et eâ ætate, id est sub finem secundi post Christum sæculi, nondum inopiâ

[1] Athenæ. l. I, p. 28 Cas. Diod. XI, 79.

[2] Pausan. I, 44, 9.

[3] Quanquam in Pausaniâ Schweigh. sic editur « ἄγαν λευκός » *admodum candidus*, potius legendum « οὐκ ἄγαν λευκός », ut suspicatus est Rangabe, inspectâ lapidis hujus specie, facile crediderim.

[4] Isocrat. de Pac. l. l.

[5] Reinganum.

[6] Tertull. Apol. Christ.

laboravisse, et, quâdam temporum necessitate non jam digniora sinentium, eo redactos esse ut ventri liberius indulgendo sibi voluptatem quærerent. Antea enim, felicioribus tempestatibus, quum propriâ magis, strenuâ dignâque vitâ viverent, alias Doricæ originis gentes ex quibus nuncupare satis sit Siculos, Thebanos Thessalosque, temperantiâ superabant. Ne Platonem Isocratemque rursus ad testimonium vocem, Polybii locum supra [1] laudatum ita Athenæus [2] interpretatus est, ut Megarenses ad Achæos a Bœotis ideo maxime quod horum gulosam ingluviem ægre ferrent, descivisse affirmaret. Verum ut a Thebanorum intemperantiâ, ita a Spartanorum frugalitate abhorrebant Megarenses. Jam a primis temporibus apud eos lautis mensis divites accubuisse Plutarchus [3] memorat, quod Doriensibus moribus erat consentaneum. Quippe illud notandum est, apud Dores, exceptis Spartanis, exquisitius largiusve epulandi amorem *Syssitiorum*[4] et *Ilapinarum* (Εἰλαπινῶν)[5], publicarum Deorum epularum, consuetudine auctum esse, quam Megaræ viguisse Theognis indicio est.

Idem Megarensibus accidit, quod fere solet populis apud quos per commercium industriamque luxus increvit, ut voluptatis amantes essent. Quare apud eos Venus,

[1] Polyb. l. XX, 6. Vid. supra, p. 37.
[2] Athenæ. l. X, c. 4, p. 418 Cas.
[3] Quæst. gr. 18. vol. 7, p. 184 Reisk.
[4] Theogn. v. 269. Welck.
[5] Id. v. 751. Welck.

si non quanto apud Corinthios honore, ita tamen culta erat, ut templum celebratum hoc nomine Πρᾶξις [1] haberet, et nobilibus meretricibus præesset, quibus peculiare nomen Σφίγγες inditum. Pernoti sunt ac sæpius citati [2] Aristophanis versus, quibus belli Peloponnesiaci origo ad tria scorta refertur : Megarensem *Simætham*, a quibusdam Atheniensium adolescentibus ebriis, et duas Aspasiæ meretrices a Megarensibus ultione duplicatâ subreptas.

Inter Megaricas meretrices vel potius ἑταίρας maxime inclaruit *Nicarete* [3], genere et doctrinâ insignis, utpote quæ Stilponem philosophum audiisset. Aspasiam omittamus, Athenæi [4] errore Megaricæ origini addictam, quam fama Megarensis, ut ipsi et Pericli infensa, inter pellices annumerare non dubitabat. Neque vernaculis meretricibus tantum, sed etiam peregrinis Megaræ facile patebat hospitium : quo duos annos usa erat illa Neæra de quâ orationem habemus Demostheni adscriptam [5].

De amoribus in Græciâ quoties quæstio est, Græcorum

[1] Paus. I, 43, 6. Eadem, ni fallor, quæ Venus *Popularis* (Πάνδημος), Veneri *Cœlesti* (Οὐρανίᾳ) opposita; de quibus vid. Platon. Conviv., p. 180. Πρᾶξις, sc. vim suam exercens. Ejus artes sensusque eximiis in hoc Megarico templo simulacris significabantur : *Suadelæ* (Πειθοῦς), *Solatii* (Παρηγόρου), *Amoris* (Ἔρωτος), *Cupidinis* (Ἱμέρου), *Desiderii* (Πόθου).

[2] Diodor. Sic. XII, 40. Plutarch. Pericl. 30.

[3] Athenæ. l. XIII, c. 7.

[4] L. XII, c. 8.

[5] Cf. etiam Athenæ. l. XIII, c. 6. Plaut. Mercat. III, IV, v. 61.

morum pars quædam, a nostris valde aliena, sed haud minima apud veteres, nec studio nostro indigna, necesse est ut attingatur, scilicet adolescentium amor (παιδικὸς ἔρως). Megaræ autem prætermitti non potest, quum duplex ejus natura ibi vel singulariter eminuerit : nempe una, severior illa nobiliorque, de quâ Plato haud semel disseruit, ad stimulandum in juvenibus virtutis amorem insectationemque velut efficacissimâ; cujus inclytum exemplum Theognidem possis inducere, cum Cyrno ac Polypædâ præcepta sapientiæ communicantem; altera vero, ad sensus maxime spectans. Hanc apud Megarenses solemni etiam festo consecratam non sine admiratione reperimus; in quo, primo vere, quotannis, ad *Dioclis* cujusdam sepulcrum, inter pueros de osculorum suavitate decertabatur. Legenda sunt, si quis veterum Græcorum in eâ re affectus noscere velit, mollia illa carmina[1] quibus describit Theocritus hoc certamen, unde « victor puer, coronis onustus, ad matrem abibat. » Diocles ille, puerorum amore conspicuus, Atheniensis Megaræ exsulabat. Quum in prælio vitam pro adolescente amato amisisset, mortuum Megarenses institutis his festis honoraverant[2], imo fere numinis instar reverebantur, siquidem per ejus nomen jurare assueverant[3].

Et alii ludi a Megarensibus celebrabantur : Alcathoii

[1] Theocr. Id. XII. v. 27 sq.

[2] Schol. ad Theocr. Id. XII, v. 28.

[3] Aristoph. Acharn. v. 774. Vid. Schol. ad h. l. qui Dioclis ludos ab Alcathoo institutos credit.

scilicet, et parvi Pythici, in quibus præmia pugilibus, pancratiastis cursoribusque videntur fuisse proposita[1]. Unde factum est ut Megarenses corpora exercerent[2], et in magnis Græciæ ludis aliquot illarum quibus antiquæ civitates adeo gloriabantur victoriis, reportaverint. Ex his victoribus nobilissimum nomen, Orsippus ab Olympiade XV[3] aut saltem XXXII[4] in stadio Olympio cursûs præmium retulit. De quo apud veteres ambigebatur: nempe inter currendum subligaculo delapso, quum expeditior ad metam pervenisset, apud posteros in controversiam ceciderat, utrum id ex industriâ an forte passus fuisset, atque etiam utrum ei palma concessa an negata. Litem, quantum in ipsis erat, Megarenses diremerant, hujus Orsippi, qui cæterum devictis hostibus prolatatisque patriæ finibus inclaruerat, monumento in mediâ urbe exstructo, insculptâque utriusque victoriæ in laudem hâc inscriptione : « Orsippo Megarenses me bellicoso sic conspicuum monumentum erexerunt, oraculo Delphico obedientes, qui remotissimos fines expedivit patriæ, multâ hostium terrâ exscissâ : primus autem Græcorum Olympiæ coronam tulit nudus, quum antea

[1] Vid. Pindar. Olymp. VI, v. 158; XIII, v. 156. Pyth. VIII, v. 111; IX, v. 160. Nem. III, v. 148. Isthm. VII, v. 149. et Schol. ad hos versus. Vid. etiam Bœckh. Corp. Insc. Gr. N° 1058.

[2] Nempe in Gymnasio a Pausaniâ (I, 44, 2.) indicato.

[3] Eustath. ad Il., p. 1224.

[4] Etymol. Magn. et Schol. vulg. ad Il. ψ' v. 683.

in stadio a cinctis decertaretur[1].» Alterum novimus victoris nomen : Cratini, Olympionicæ[2].

In alius generis certaminibus per decem annos continuas victorias obtinuit Megarensis Herodorus, tibicen, staturâ immani mirâque vi laterum, qui incredibilem ciborum copiam in alvum demittebat duasque tubas simul inflabat. Hujus ars in bellis efficacissima tradebatur. Quum enim Demetrius Poliorcetes Argos obsideret, ejusque milites, enixe conati, Helepolis molem ad muros movere nequidquam tentarent, Herodorus ex tubis ambabus formidandum adeo sonitum vigore inaudito excivisse ferebatur, ut eos, viribus supra modum elatis, opus perficere coegisset[3].

§ III. *De Megarensium indole.*

De propriâ Megarensium indole quædam tum ex iis quæ de suis originibus ipsi commenti erant, tum maxime ex eorum civitate ac moribus ultro prodierunt. Præterea sunt quæ a veteribus dictitata, fere in opinionem communem videntur transiisse; ut multum inde auxilii ad perficiendam Megarensium effigiem speraremus, nisi hoc simul periculum essemus adituri, ut injusta falsaque admitteremus. Horum enim pleraque ab Atheniensibus exorta sunt, quibus in suo limine invisum istud Dorum

[1] Pausan. I, 44, 1. Schol. ad Thucyd. I, 6.
[2] Olympiad. XXII, secundum Jul. Afric. Vid. Muller. Dor.
[3] Athenæ. l. X, c. 3, p. 415 Cas.

genus primi Megarenses offerebant, ad hoc in priscis temporibus de scientiâ navigandi commerciique facultatibus, ablatâ etiam Salaminis insulæ possessione, æmula studia opposuerant, denique egregium illud inventæ artis comicæ decus præripuerant. Unde multa Atheniensium ac præsertim comicorum poetarum adversus Megarenses dicteria, quæ, ut ad ingenii Attici auctoritatem pertinebat, per Græciam cæteram in ora vulgi venere, et postea a scriptoribus et grammaticis transmissa, in nostram postremo notitiam pervaserunt.

Ita Megarenses carpebantur, quod ad mentem attinet, tanquam *rudes* et *inficeti*[1]; quod ad indolem, tanquam *dolosi perfidique :* hoc enim significabant *ars Megarica*[2] (Μεγαρικὴ μηχανή), *Megarici fletus*[3], *Megaricus risus*[4], vice proverbiorum vulgo usurpati. Nempe Megaricæ dicebantur lacrymæ fictæ nec veri affectûs indices, quales excitare solet acer alliorum odor : Megaris autem, ut novimus, alliorum ferax. Idem mendacii crimen subierat Megaricus risus, sicut aptissime exprimit ipsius Megarensis poetæ querela :

« ἀλλήλους δ' ἀπατῶσιν ἐπ' ἀλλήλοισι γελῶντες.[5] »

Sed maxime ita celebrabantur Megarenses ut risûs

[1] Ælian. Var. Hist. XII, 56. De horum permultis Cf. Reinganum, p. 56.

[2] Aristoph. Acharn. 738. Schol. ad hunc locum. Suidas s. v.

[3] Schol. Aristoph. Pax, 249. Suid. s. v.

[4] Hesych. v. γέλως. Suid. sub eâdem voce.

[5] V. 885. Cf. v. 17. ed. Welcker.

amantissimi, aut sæpius, a comicis Atheniensium poetis, ut risum odiosum atque immodicum ob insulsa tollere soliti[1]. Ad hoc dicaces et nimiâ quâdam petulantiâ ad irridendos homines proni habebantur. Notum enim hoc Pittaci verbum : « Megarenses fuge omnes; sunt enim amari.[2] » Imo etiam eos simul ridiculâ superbiâ elatos et omni contemptu dignos arbitraretur, si quis indiciis[3] quibusdam fidem adhiberet. Ex quibus vulgatissimum Pythiæ responsum, quæ a Megarensibus interrogata quinam Græcorum præstantissimi essent, dixisse olim ferebatur : « Terræ totius Pelasgicum Argos præstan-
» tissimum est; præstantissima est et equa Thessalica et
» Lacedæmonia mulier; præstantissimi viri qui bibunt
» aquam pulchræ Arethusæ : sed etiam his præstan-
» tiores, qui Tirynthem inter habitant et Arcadiam pe-
» cudum divitem, Argii lineo induti thorace, præliorum
» stimuli. Vos autem, Megarenses, neque tertii, neque
» quarti, neque duodecimi, neque ullo in numero ullove
» in loco estis[4]. »

[1] . . . . . Γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον.
Aristoph. Vesp. 58. Vid. Schol. ad h. l.
. . . . . Σοὶ τὸ σκῶμμ' ἀσελγὲς καὶ Μεγαρικόν,
καὶ σφόδρα ψυχρὸν γελᾷς.
Myrtil. Τιτανόπασι ap. Aspasium ad Ethic. Nicom. p. 53.

[2] Μεγαρέας φεῦγε πάντας· εἰσὶ γὰρ πικροί. Anthol. Palat. II, p. 445.

[3] Vocem Μεγαρίζειν eodem sensu quo μέγα λέγειν habitam, Suidas (s. v.) refert. Qui etiam hoc proverbium citat et interpretatur : Μεγαρέων ἄξιοι μερίδος, scil. ἄτιμοι.

[4] Ὑμεῖς ὦ Μεγαρεῖς, οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι,
Οὔτε δυωδέκατοι, οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

Quod eos auctor adversus Neæram orationis[1] *illiberales* atque *æris tenaces* (ἀνελευθέρους καὶ μικρολόγους) dicit, non multum ex eo inferendum videtur, quum ibi ex adverso opponantur meretricis cujusdam aviditas luxusque, licet tunc temporis bello Megara premeretur. Sed modum cumulant hæc quibus sese effundit Atheniensium odium, verba Demosthenis[2] : « Megarenses istos *exsecratos*, Μεγαρέας τουτουσὶ τοὺς καταράτους.

Quibus omnibus collectis si quis Megarensium indolis imaginem sic perfectam vellet, quid miseræ genti jam reliquum esset, nisi ut totius Græciæ fere vilissima atque invisissima haberetur? Quod vero iniquissimum esset. Neque tamen omnia hæc probra, velut malitiæ invidiæque crimini obnoxia, simpliciter delebimus. Sed illud tantum ex his retinebimus, Megarenses non eodem, quo Athe-

Suid. s. voc. Schol. Theocr. Id. XIV, v. 48. Callimach. Epigr. 26. Strab. X, p. 449. Plutarch. Sympos. VIII, 8.

[1] P. 1357. Reisk.

[2] Advers. Aristocr. p. 691, ed. Reisk. Forsan hoc verbum καταράτους ad id alludit, quod sacrilegii Megarenses accusabantur : quia primo agrum Cereris et Proserpinæ sacrum circa Eleusinem araverant, ac deinde, quod ipsi negabant, Anthemocritum ab Atheniensibus de rebus repetendis publice missum interfecerant. Scilicet et hanc causam quominus decretum Megaricum abrogarent, imminente Peloponnesiaco bello, Athenienses præ se tulerunt, et Megarenses cædis impiæ crimen adeo non diluere valuerunt, ut Pausaniæ tempore Deabus etiam tum pœnas debere atque ideo minora Adriani imperatoris beneficia experti esse crederentur.

Thucyd. I, 139. Schol. ad h. l. Plutarch. Pericl. 30. Pausan. I, 36, 3.

nienses, ingenii flore, neque tam polito cultu subtilive mentis acie eminuisse; at potius in quædam robustâ et pingui, paulo autem crassiore, naturâ digna erupisse, cæterum strenuos laborisque amantes; ad hoc, communi illo Græci generis vitio vel imprimis laborasse, ut ad dolum propensi essent: quod maxime videtur, tum in vitæ quotidianæ usu, tum in extollendâ ipsorum patriæ nobilitate prodiisse. Hoc vero, etsi in mediocri civitate ridiculi aliquid contrahit, tamen suam in se habet excusationem. Præterea laudem quamdam eos adeptos esse profitebimur, in illâ turbis ac cædibus toties funestatâ Græcia honestissimam, scilicet ut animi mansuetudine atque humanitate maxime excellerent. Quod autem non dictis plus minus ad falsum accommodatis, sed ipsâ historiæ fide nititur.

Non multum quidem Plutarchi[1] narratiunculâ quâdam probari contenderim, ut ad tempora valde antiqua nec satis fabulis expedita pertinente. Neque tamen hanc omittam, quum haud invenustam primi ævi morum, quales sibi magis finxerit aliquis quam noverit, imaginem exprimat. Nempe quum Corinthii apud Megarenses, quo facilius eos opprimerent, bellum civile suscitare valuissent, res mira neque alias unquam audita accidit. A Megarensibus, licet manus consererent, non tamen sævo, sed, ut ita dicam, leni Marte dimicatum est. Neque enim unquam damni quidquam agricolarum arvis infe-

[1] Qu. gr., p. 183. vol. 7. ed. Reisk.

rebatur. Et si quis, armorum sorte, in manus hostis inciderat, victorem sequebatur domum, ubi amice exceptus, mensæque et salis in partem vocatus, dein ad suos remittebatur, tantum pollicitus se pretium pro libertate daturum. Quod nisi persolvisset, quum apud hostes, tum apud suos homo nequam ac perfidus jam audiebat. Itaque civilium discordiarum bellorumque e medio nova quædam hospitii jura, pacem paratura, nascebantur, novo nomine δορύξενος in vicem soliti nominis δορυάλωτος ficto. Quod verbum certe apud Megarenses perstiterat

At satius est ad certiora nos referre. Ubi autem facilius tutiusve exsulibus, quam Megaræ, patuit perfugium? Neque ea quæ Megarenses inter Atheniensesque odia intercesserant, impedimento fuere quominus Megaræ benigno hospitio foveretur, si quis Atheniensium, vi infestâ excussus, patriâ aufugisset. Sic, quum Triginta tyrannorum triste jugum Athenæ subierunt, inter multos quibus Megara *impleta* est, orator Lysias ibi se patriæ libertati ac gloriæ servavit[1]. Eodem paulo ante (Ol. 93, 1) confugerant captivi Syracusani, ex Piræi latomiis elapsi[2]. Ibi etiam utilia litteris otia habuit, exsilio multatus, Atheniensis Androtion[3].

Meminerimus denique mulieris illius cujus virtus digna fuit ut in patriam ejus redundaret. Quam ruri modice

[1] Xenoph. Hell. II, IV, 1. Plutarch. Dec. or. vit. Lys.

[2] Xenoph. Hell. I, II, 14.

[3] Plutarch. De exsil., p. 388. Vol. 8. Androtion de rebus Atticis (Ἀτθίδα) et de Agriculturâ opera composuerat.

viventem, quum magnæ injustitiæ spectaculo forte adfuisset, quidam pudor ac religio eximia cepit, nisi pietate ab Atheniensibus negatâ Phocionem mortuum ultro prosequeretur. Quum enim Phocionis necati corpus Conopion quidam, se ad talia munera locare solitus, ultra Eleusinem et fines Atticos, tanquam impurum et sacrum tulisset, ignem quo bustum humile accenderetur ab eâ muliere mutuatus est. Hæc autem et ignem ministravit, et ipsa cum ancillis, ut, quantum in eâ esset, justa solverentur, indigno illi funeri adstitit, tumulumque libando et alia sacra faciendo exaggeravit. Quem vero inanem reliquit : ossa enim Phocionis pie subrepta sinu condidit, furtim noctu domum abstulit, et ad focum suum infodit, hæc tanquam de exsulantibus dicens : « Tibi, cara *Hestia,* committo has viri boni » reliquias : tu autem eas patriis sepulcris redde, quando » Athenienses resipiscent [1]. »

[1] Plutarch. Phoc. 37.

CAPUT V.

De litterarum artiumque apud Megarenses studio.

In quas maxime indolis species gentium antiquarum quædam sese inflexerit, id profecto apud nos hodie in disceptationem cadit. Sive enim nonnullorum hominum virtutes vitiaque in populum universum extendimus, sive inter domesticas de semet ipsis magnificentius prædicantium laudes, externaque infestius insimulantium jurgia hæsimus ancipites, parum certa aut saltem dubio obnoxia proferimus. Verum quotiescumque gens ea vere digna est cui attendamus, sunt alia quæ nos, qualis fuerit, certius docent, scilicet ingenuæ artes. In quibus si quis præstantissimus exstiterit, fere nunquam eum debito apud posteros honore ulla hominum temporisve invidia fraudavit; sed illi secura inconcussaque gloria obtigit, vel ipsius operibus superstes. Quamvis enim tot et tanta litterarum artiumque monumenta sæculorum iniquitate oppressa desiderentur, quam magnifico clarorum nominum comitatu quasi deducta, Græcia vetus in nostrum conspectum incedit! Quin etiam fateamur æquum est,

in tam felici eximiorum operum proventu, quorum reliquias admiratione summâ prosequimur, iis tantummodo quæ præclarissima omnium excellerent contigisse ut famam adipiscerentur et fere impune perire possent. Nam hodierna musea quam multas statuas ab ignotis auctoribus elaboratas ostentant ac venerationi nostræ proponunt, nedum quæcumque olim oblivione mersa latuerint, tanquam vilia despiciamus! Itaque, si qua Græcarum civitatum vel unum, ipsius antiquitatis auctoritate consecratum, artium litterarumve monumentum usque in nostram ætatem transmiserit, aut etiam si nomina aliquot illustria memoriæ nostræ tradiderit, eam ne dubitemus profiteri jam singulari laude ac veneratione dignam esse; præterea felicis excultique ingenii famam non immerito sibi vindicet. Quemadmodum enim, in Olympiis Pythiisve antiquæ Græciæ ludis si quis palmam retulisset, non sibi solum suisque, sed patriæ etiam toti magnificam firmamque gloriam pepererat, ita in illo quasi ingeniorum curriculo, magis etiam merito, populo cuique conceditur, ut ex civium suorum victoriis, ovans ipse, opima et splendida decoris præmia sibi colligat atque in æternum reservet.

Proinde Megaram ne suo proprioque honore nos destituamus, quum neque à civibus suis derelicta in posterorum illud tanquam judicium prodeat; imo Megarenses ingenii flore valuisse et Diis caros fuisse fateamur. Etsi enim non primum gradum assecuti sunt, etsi vicinis Atheniensibus multo inferiorem locum obtinuere, fuit

tamen unde et nostram reverentiam sibi concilient et præcipuum etiam inter Græcos populos decus mererentur; maxime si ad litterarum laudem respicias. Nam clarissimum poetam, Theognidem, cujus non omnia carmina periere, Megara genuit, et in eâ exorta sunt prima comœdiæ initia, illustrisque schola philosophiæ.

§ I. — *De Theognide.*

Nostræ Megaræ suum Theognidem eripere multi conati sunt, Platonis scilicet verba[1], non ita ab ipso studiose vel dilucide dicta, adstrictius aut perperam interpretati, ex quibus poetam Hyblæis Megarensibus annumerarent. Cui autem opinioni nullam fidem adhibendam Welckerus abunde, Scholiastæ ad Platonem argumentis usus, explanavit. Si quis ex ejus carminibus[2] verum repetere tentaverit, nihil aliud constat quam eum, quum bellorum adversus Medos alterutrum Græciæ immineret, scripsisse : quo tempore eum jam in senectutem, quam attigisse se ipse fatetur[3], venisse, conjiciendum videtur. Mirum enim, ni Platæensis victoriæ gloriam celebrasset, cujus nulla apud eum mentio fit; ac præterea, quum Platæas hoplitarum tria millia Megarenses miserint, quem numerum nunquam explere potuissent, nisi tunc

[1] Πολίτην τῶν ἐν Σικελίᾳ Μεγαρέων. Plat. Leg. I, p. 544. ed. Baiter. Vid. Schol. ad h. l. Vid. Welcker. Prolegom. ad Theognid., p. XIV.

[2] Vid. v. 755.

[3] V. 283; 605.

temporis, compositis discordiis, reduces optimates atque in patriam restituti fuissent, quam aliam ob causam de hoc reditu siluit Theognis, qui semper exsilium dolet, nisi quia ipse, si non vitâ decesserat, saltem annis ac senio confectus Musis valedixerat?

Itaque verisimile est illum minime aut parum ultra secundum bellum Medicum (Ol. 75) vitam produxisse. Quum autem jam senex, vel antea, esset, non immerito Welckerus fidem Suidæ denegavit, Theognide Olympiade 59 natum asserenti. Melius videntur Chronic. Hieron. et Chronic. Pasch. eum jam florentem ad Olymp. 58 et 57 retulisse.

Nostri ipsius poetæ carmina quædam, nulli suspicioni obnoxia[1], nos docent, eum nobili genere exortum, cum cæteris optimatibus et potentiâ et fortunis suis privatum, mox etiam in exsilium actum fuisse; tunc hospitio siculo usum, videlicet apud Hyblæos Megarenses, quorum etiam civis factus, ibi degisse videtur, quoad, urbe occupatâ, a victore Gelone Syracusas plerique translati sunt[2]. Præterea Spartæ et in Eubæâ exsul vixit. Erravere, sicut Welckerus perspexit, qui, versu 1103[3] prave intellecto, arbitrati sunt eum et Thebis exceptum mansisse: quanquam id per se vero nihil repugnat.

Quicumque Theognidis vitæ termini assignentur, nemo

[1] Theogn. pass.; v. 765. Vid. infra, p. 89.

[2] Herodot. VII, 56.

[3] Αἴθων μὲν γένος εἰμί, πόλιν δ' εὐτείχεα Θήβην
οἰκῶ.....

infitiabitur illum eâ ætate vixisse, quæ ditissimo poetarum partu felicissima floruit : nempe Ibyci, Anacreontis, Simonidis, Pindari, Æschyli, aliorumque, inter quos nuncupari ei decorum, suo autem loco potiri summæ laudis fuit.

Elegos tantummodo scripserat Theognis; ex quibus carmen de Megaræ siculæ expugnatione, ut optime Mullerus[1], Suidæ errore correcto, opinatus est, composuit; plerisque, aut deplorandos suos patriæque casus, aut præcepta privatæ sapientiæ communicanda, sibi videtur proposuisse. Horum autem quas hodie novimus reliquias Welkerus, si non ad pristinam deperditorum operum formam verumque ordinem restituere potuit, tamen miro ingenii acumine, remotis separatisque suspectis ac spuriis versibus, disposuit. Ex quo labore carmina circiter nongenta exstitere, non uno quidem sensûs tenore inter se juncta, sed ea tamen quæ satis amplam æstimandi poetæ materiam suppeditent.

Prudentissime animadversum est, illud Græcorum arti fuisse proprium ut, arctos intra fines sæpe inclusa, sic tamen efficacius certiusque perfectam diversorum operum speciem assequeretur; ita ut neque leges severius adstrictæ, neque formæ angustæ modus impedimento essent quin præter spem varios uberesque fructus produceret. Atque hoc etiam præcipuâ admiratione dignum est, quod ingenio, ita in sese quasi collecto, non

[1] Dor. Vol. II, p. 509.

tantum validiora solidioraque efficere, sed etiam nullâ inopiâ laborare, nullo conatu intendi, in liberum autem facilemque cursum se expandere atque exspatiari licuerit. Quæ quidem et in Theognide, quamvis Græcæ artis amplissima neque sectatus sit neque consecutus, deprehendere possumus.

Mirum est enim quam multa, eximiæ ac multiplicis eloquentiæ vim habentia, ex illius *exiguis*, ut Horatianum verbum usurpem, elegis exorta sint. Profecto ut sensus sese in effusam abundantiam longeque revolutos sinus explicent, non est requirendum ; quippe quod lex operis non patiatur. Sed sine ullâ dicendi ariditate, sine ullo nisu affectus dissimillimi vivide admodum sunt expressi. Unde fit ut, licet soluta sit temporis iniquitate sententiarum series, tamen in sparsa quoque disjecti operis illa quasi membra constanti voluptate legentis animus intendatur : sive strepit ad aures nostras dolentis iratique vox poetæ, ultro erumpens ; sive dignitate et constantiâ plenas sententias gravissimaque præcepta mente haurimus ; sive etiam interdum leni venustâque remissiorum affectuum gratiâ demulcemur.

Meminerimus[1] quo ingenii vigore publicas Theognis exerceat inimicitias : quam acri impetu in odium ejus animus exsilit, aut quam penitus infixo dolore angitur atque exacerbatur ! Quæ minæ, quam diræ preces, quam acer gemitus ! Nunc eum audiamus patriam pietate mœstâ

[1] Vid. supra, p. 52 et sq.

colentem, cujus imago, et ad ripas Eurotæ arundinosi, et in divite sicularum urbium hospitio, exsulis animo semper obversatur[1]. Idem sancta amicitiæ munera celebrat, pluris etiam *in tristibus illis dissidiis* facienda, quum *vir fidus auri argentique pretio par est*[2], improbum autem amicum *ut malum portum fugere*[3] oportet; aut pia vincula quibus liberi erga parentes obstringuntur[4]. Simul justitiæ amorem[5], et dignitatem animi[6] præcipit quæ virum ingenuum decet, neque minus prudentiam, quâ in suspiciosis temporibus adeo opus est, ut ad scrutandos amicorum quoque animos per ambages tam implexas eundum sit, quam membra sunt polypi, saxo suo adhærentis[7]. Neque rebus etiam divinis absistit, quum et Deorum infinitam potentiam extollat, quorum arbitrio mortales inscii exercentur[8], et suam homini ipsi majestatem restituat, qui, licet fato ineluctabili

[1] Ἦλθον μὲν γὰρ ἔγωγε καὶ ἐς Σικελήν ποτε γαῖαν,
ἦλθον δ' Εὐϐοίης ἀμπελόεν πεδίον,
Σπάρτην τ', Εὐρώτα δονακοτρόφου ἀγλαὸν ἄστυ·
καί μ' ἐφίλευν προφρόνως πάντες ἐπερχόμενον.
Ἀλλ' οὔ τίς μοι τέρψις ἐπὶ φρένας ἦλθεν ἐκείνων·
οὕτως οὐδὲν ἄρ' ἦν φίλτερον ἄλλο πάτρης.
v. 765.

[2] V. 355.

[3] V. 324.

[4] V. 73.

[5] V. 101-106.

[6] V. 561-570.

[7] V. 419.

[8] V. 94-100.

oppressus, non impotentiâ mœrorem amicis lætitiamque inimicis affert, sed victrici patientiâ se pium simul ac liberum præstare potest[1].

Quis unquam aut plura canendo attigit, aut magis diversos animi sensus carminibus perlustravit? In quibus autem virum unum vivere et quasi spirare dixeris; ita ut eumdem ubique agnoscas, eâdem ingenii affectuumque vi instinctum, neque unquam suæ dignitatis immemorem. Nempe hic vates nobili sanguine est ortus; huic nobilia Musarum munera sortito, et alios regere fas est[2], et cuicumque velit, alas addere, quibus ultra pontum immersum per omnes terras vectus, juvenum epulis inter concentus sertaque misceatur, neque etiam mortuus pereat[3].

Theognidem ipsum vitamque illius per fragmenta illa confusaque carmina deprehendimus. Hic quibus casibus jactatus fuerit; hic quali animo, quam vivide penitusque commoto fortunæ adversa senserit; hic denique quem proprium mentis habitum sibi ipse constituerit, quæ fuerit apud eum illa tanquam interior vita quam sibi quisque, remotis externis rebus, meditando sentiendoque fingit, intelligere et perspicere in promptu est. Quo fit ut nobis fere totus Theognis reddatur, peculiari suâque indole instructus, et versibus illis vivido affectu ingenuâque facundiâ plenis vehementissime moveamur.

[1] V. 601-612.
[2] V. 61-64.
[3] V. 865-880.

Neque profecto apud veteres minori laude floruit ille Tyrtæi Solonisque æmulus ; sed ita tamen ut in eo moralia magis quam cætera celebrarentur : quia nimirum venustatem, vim, cæterasque magnæ eloquentiæ virtutes minus Græci mirarentur, ut vulgatas, sapientiæ autem præcepta, minus perspicue intellecta, avidius haurirent. Sic Megarensis poetæ sententiis honor accessit, quas in brevem elegorum formam contractas facile omnes in memoriam admiserunt retinueruntque. Sic in scenam quoque prodiere, quum eas Sophocles Euripidesque crebro imitarentur; sic in opera eorum quicumque de virtute loquebantur, testimoniorum instar adscitæ sunt. Videntur etiam excerptæ, cum aliorum poetarum sententiis, informandis adolescentibus addictæ fuisse qui eas memoriâ simul et animo conciperent[1]. Itaque Theognis, tanquam sapientiæ antistes sæculorum veneratione consecratus, tantam præ se ferebat auctoritatem, ut illius Phocylidisque sententias Julianus Imperator Salomonis proverbiis opponere ausus sit[2].

Quid autem inde evenerit, facile intelligitur : Theognidi summus ille quo habitus est honor saluti simul ac damno fuit. Nam neque perire potuit, quum ejus sententiæ ubique essent ; neque integer servari, quum cætera negligerentur.

[1] Isocrat. ad Nicocl. init. et c. 12. Æschin. C. Ctesiph., p. 525. Reisk.

[2] Ap. Cyrill. c. Jul. l. VIII, p. 224. Spanh. De his omnibus vid. Welcker. Proleg. ad Theogn., p. LXXI sq.

Qualiacumque ad nos pervenerint Theognidis carmina, sive illa vel deformata, ita ut sunt, inspexeris, sive ad famam auctoritatemque attenderis quâ usus ipse apud Græcos est, non præter modum Megaræ favebis asserendo in eam haud parvum decus ex vate tam egregio redundare. Præterea quis credet hunc solum in eâ urbe exstitisse cui unquam et versus condere et poeticam laudem sectari in mentem subierit? Profecto Megaræ, saltem apud illos quibus divitiæ ac potestas majora otia studiaque nobiliora effecerant, cultus Musarum floruit.

§ II. — *De comœdiâ Megaricâ.*

Fuit autem Megaræ genus aliud quod non, sicut nobilis citharæ cantus, proprium fuit optimatium, sed contra ex populari origine vividum ac fervens erupit, scilicet comicum genus. Quamvis de hoc etiam multa incesserit controversia, res duorum virorum[1] sagacitate explanata jam prævaluit: apud Megarenses nata est comœdia.

Illud quidem per se præter dubium est, non primum sexto ante Chr. sæculo Græcis in mentem venisse vitæ quotidianæ mores ridiculum in modum imitari : quippe qui, utpote artis scenicæ conditores et magistri, minime sensûs illius expertes fuerint, quo universi homines instincti, imitando delectantur. Præterea scimus apud

[1] Meineck. Fragm. Com. Græc. V. I, p. 18 ss. Grysar. De Doriens. Comœd. quæst.

eos, ac præsertim in Dorum civitatibus, diversa hujus generis tentata fuisse; quæ, ut *Dicelistas* spartanos solum memoremus, ita simplicia[1] remanserunt, ut in illis antiquæ originis indicia semper deprehenderentur. Libenter etiam ex quibusdam Aristotelis verbis[2] crediderimus, id antiquitus usitatum fuisse, ut inter *Phallica carmina pompis* Bacchicis admista[3], quædam petulanter ex tempore dicta actave intexerentur.

Quæ autem ut ad comœdiæ originem pertinent, ita nondum sunt vere ipsa hæc origo; etenim vix inchoata, nondum certâ satis et propriâ specie potita sunt. Verum Megaræ, quo tempore populus, expulso Theagene (circ. Ol. 44), libertatem *meram*[4] ebibit, ludicra illa quæ ibi ut aliis in locis celebrabantur, novam ac novis moribus accommodatam formam induere. Nec jam modo quædam imitationes fuerunt, aut mutæ, aut ad familiares vitæ privatæ usus tantum spectantes; sed iis accesserunt et forma liberior, et concessa in principes civitatis probra conviciaque, quibus longæ servitutis pœnas plebs exigebat; nec jam inter Bacchicos cantus vix admissa sunt, sed majorem insignioremque locum obtinuere. Exinde solum comœdia exstitit; ac rursus jam tunc tan-

[1] Athenæ. XIV, p. 621.

[2] Ἐγένετο.... ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικῆς ... ἡ κωμῳδία ..... Ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὰ φαλλικά, ἃ ἔτι καὶ νῦν ἐν πολλαῖς πόλεσι διαμένουσι, κατὰ μικρὸν ηὐξήθη.

Poet. IV, 14.

[3] Plutarch. De divit., cup. c. 8.

[4] Vid. supra, p. 45.

tum incrementi accepit, ut vere exsisteret. Quapropter jure ac merito Megarenses se comœdiæ parentes professi sunt; neque illis adversatus est Aristoteles, si illum attente interpretamur[1].

Ex hoc Megarico fonte veterem illam Atticæ comœdiæ naturam formamque defluxisse quis infitiabitur? Imo hanc in Atticam transtulit (circ. Ol. L.-LIV[2]) Megarensis Susarion. Hic, Tripodiscis, Megarico pago qui Geraniæ monti erat acclivis[3], natus, ad Icarienses migravit; ubi in Bacchi festa, antiquitus celebrata, Megaricam comœdiam videtur inseruisse.

Susarione, in artis comicæ historiâ, nemo prior occurrit. Quum autem prima initia suo ita nomine signaverit[4], inde exorta esse videtur opinio, eum etiam metrum suis operibus adhibuisse[5]. Cui vero opinioni haud satis magnam addunt auctoritatem citati simul Susarionique adscripti iambi quinque[6], manifesto spurii. Fortasse cautius admiseris eum nihil aliud quam paulo politiore in componendis fabellis arte usum esse.

[1] Poet. III, 3.

[2] Vid. Marm. Arund. Ep. 34.

[3] Paus. I, 43, 7.

[4] Σουσαρίων ὁ κατάρξας κωμῳδίας. Aspas. ad Aristot. Eth. Nicomach., p. 53.

[5] Τῆς ἐμμέτρου κωμῳδίας ἀρχηγὸς ἐγένετο. Schol. Dionys. Thrac., p. 748.

[6] Ἀκούετε, λεῴ · Σουσαρίων λέγει τάδε,
υἱὸς Φιλίνου Μεγαρόθεν Τριποδίσκιος ·
. . . .

Vid. Meineck. Fragment. poet. com. antiq. Vol. II, p. 3.

Quæ fuerit illa Susarionis comœdia, quanquam non licet certâ describere figurâ, aliquatenus adumbrari potest[1]. Simplicem admodum eam ac rudem fuisse, vix opus est dicere, quum ars comica, teste Aristotele[2], tamdiu ignobilis contemptaque permanserit, priusquam ad quemdam famæ et dignitatis gradum assurgeret. Histriones, non certo numero, in scenam modicis pulpitis instratam prodibant, nondum fabulâ ad justam compositionem redactâ[3]; nihil aliud ac risum præmeditati, quum nihil gravius sibi proponerent, nisi ut petulantibus et ridiculis dicteriis imitationibusque quosdam cives lacesserent. Quid igitur in his comœdiæ nomine jam dignum? Videlicet Susarion ea ludicra ad illud subegit, ut diversæ partes, licet non ita arcto inter se nexu conjunctæ, ad rem unam tamen se referrent[4], et, si non singula quæque dicta actave, certe quidem totius rei ordo et summa prævararetur.

Hæc comœdia, qualicumque se primum habitu produxerit, simul atque Athenas migravit, non suam patriam deseruit : ubi contra firmam sibi sedem videtur constituisse. Illud tamen mutationis passa est, ut brevi con-

[1] Vid. Meineck. Fragm. Com. gr. V. I, pp. 18 ss. Grysar. De Doriens. Comœd. quæst.

[2] Poet. V, 3 : ἡ κωμῳδία διὰ τὸ μὴ σπουδάζεσθαι ἐξ ἀρχῆς ἔλαθεν.

[3] Οἱ περὶ Σουσαρίωνα τὰ πρόσωπα εἰςῆγον ἀτάκτως... (Κρατῖνος) τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν κατέστησε.

Anonym. de Comœd., p. XXXII.

[4] His vocibus Μεγαρικὸν δρᾶμα Ecphantides utitur de hoc comœdiæ genere. Ap. Aspas. ad Arist. Eth. Nicom. IV, 2.

verso civitatis statu, se jam a principibus abstinuerit ac, *sublato jure nocendi*, e publicis rebus ad privatos mores sese transtulerit, vitam vulgarem imitata. Non autem multo politiorem formam induisse unquam videtur, neque multo subtiliorem artem in fabulâ sive componendâ, sive verbis exponendâ adscivisse : quî fit enim ut nulla unquam ullius scriptoris comœdiarum Megarensis[1] mentio apud veteres facta fuerit?

Ideo non prorsus immerito Megaricam comœdiam tam acriter lacessiverunt Athenienses, quum ipsi ab iisdem principiis se ad splendidum illud artis decus evexissent. Sæpe illam ut inurbanam, ut frigidâ insulsâque cavillatione odiosam, ut risu immodico agrestem exagitant[2]. Ubi tamen quædam animadvertenda sunt. Non tot maledicta effunderent, nisi quædam subesset adversus Megarenses invidia, et primo ipsius comœdiæ inventores, neque ita forsan, etsi haud dubie Atheniensibus infe-

[1] Ne quis Megarenses opponat *Tolynum*, Ecphantidis æqualem, qui ubi fabulas docuerit, minime compertum est; et *Phœnicidem*, qui suas comœdias Athenis in scenam produxit.

[2] Vid. supra, p. 77, n. 1. Aristoph. Myrtil. Præterea Eupol. Προσπαλτίοις : « Τὸ σκῶμμ' ἀσελγὲς καὶ Μεγαρικὸν σφόδρα. » Ap. Scholiast. Aristoph. Vesp. 57.

Ecphantid. apud Aspas. ad Aristot. Eth. Nicom. IV, 2 :

Μεγαρικῆς
κωμῳδίας ᾆσμ' οὐ δίειμ'. Ἠσχυνόμην
τὸ δρᾶμα Μεγαρικὸν ποιεῖν.

Hesych. s. v. γέλως : « ἤκμασε γὰρ ἡ Μεγαρικὴ κωμῳδία ἀώρως, ἣν Ἀθηναῖοι καταμωκώμενοι ἐγέλων. »

riores, ab omnibus æque contemptos. Ad hoc verisimile est haud multum discriminis Megaricam comœdiam inter et Atticam, priusquam Cratinus exsisteret, interfuisse; ac ne rudes illos primorum temporum poetas advocem, Aristophanem ipsum nullos nisi venustâ urbanitate exquisitos sales admisisse quis contendat?

Præterea illud neutiquam obliviscendum, Megarenses, quemadmodum Politicam comœdiam, ita Novam illam auspicatos esse, ad mores privatos pertinentem, quæ Athenis suum Menandrum, recentiorum vero ætatum populis omnes suos comicos scriptores peperit. Atque hic non immerito aliquid ad nostram Megaram ex eâ gloriâ retulerimus, quam colonia ejus, sicula Megara, genito Epicharmo, adepta est. Quæ enim et ipsa parens comœdiæ[1] dici non potuisset potius quam Syracusæ, ubi et maxime, eversâ Megarâ, ipse Epicharmus, et constanter Phormis, ejus æqualis æmulusque, floruerunt, nisi, ludis comicis ab urbe Græcâ acceptis, sic ab origine inter cæteras Siciliæ civitates eminuisset. Epicharmum penes fuit laus, consensu omnium concessa, comœdiæ primum ad nobilis artis dignitatem evectæ: quippe qui illi et veram compositionem, fabulæ cujusque partibus inter se apte connexis[2], et styli laborem adhi-

[1] Arist. Poet. III, 3.

[2] Οὗτος ὁ Ἐπίχαρμος τὴν κωμῳδίαν διεῤῥιμμένην ἀνεκτήσατο πολλὰ προσφιλοτεχνήσας. Anonym. de Comœd., p. XII. Cf. Arist. Poet. V.

buerit, atque etiam spectatores utilia docendi munus sæpe susceperit. Quapropter, postquam Atticum ingenium, ejus exemplo adjuvante, tam mira in eâdem arte produxerat, tunc etiam comicorum scriptorum, judice Atheniensi Platone, princeps Epicharmus, palmam ab initio occupatam retinuit.

Politicas comœdias neque Megaræ, imperantibus optimatibus, neque Syracusis, regnante Gelone, eum docuisse, per se manifestum, præterea comprobatum est. Videtur autem ad genera duo operam contulisse[1]: nunc personas ex ipso Olympo excivisse, secundum morem apud Siculos Italosque populos, ut vasa picta testantur, antiquum, narratiunculas e mythologiâ repetitas in ludicra joculatoria traducendi; nunc, ut Græciæ Megarenses, actiones e vulgari hominum vitâ depromptas in scenam edidisse.

Ad hoc genus, ambabus Megaris commune, pertinebant personæ quædam *statæ*, quarum auctor ante Epicharmum præcipuus celebratus est quidam *Mæson* qui utrius Megaræ fuerit civis, apud veteres litigabatur: plures eum, teste Athenæo[2], siculæ urbi attribuebant. Hic Mæson personas quasdam dicacis servi et coqui invenisse perhibetur; unde *Mæsones* dicti in theatro hujus generis coqui, et *Mæsonicæ*, quas effundere solebant cavillationes. Mæson effingebatur niger, calvus,

[1] Vid. Grysar. circ., p. 70 ss.
[2] L. XIV, p. 659.

duobus tribusve nigris cincinnulis in capite et mento instructus, corpore distorto. Hæc species, ita ridiculâ deformitate insignis, assueto populum lenocinio alliciebat; hanc prodeuntem spectatores noto nomine salutabant, quemadmodum apud Oscos Manducum aut Bucconem. Unde effectum est ut, postquam comœdia in liberiora nobilioraque spatia exiisset, Mæson etiam tunc servaretur[1]. Jam autem priscâ sede decedere coactus, secundo vel tertio loco adscriptus est, quales *Parasiti Ebriosique* personæ quas Epicharmus adhibuerat.

Quomodo statæ personæ sic Novæ Comœdiæ adjungi atque immisceri potuerint, si quis miretur, meminerit qualia essent apud veteres theatra, et quis personarum usus: quanta populi multitudo, quam ibi necessarium solitumque spectantium mentes indiciis adjuvare; itaque comœdiæ quum non idem obtingeret ac tragœdiæ, nihil agenti narrantive quod non prius in mentem quisque cum ipso Deorum heroumque cultu a pueris accepisset, necesse fuisse ut certa conditionis, ætatis atque etiam indolis genera evidentius personæ semper eædem et constantes, quam apud nos mobilis actorum habitus, significarent. Inde etiam evenit ut tam diversæ ac multiplices effingerentur personæ, ne nimium augustis terminis comicum genus includeretur.

[1] Mæsonem inter plurimas illas Novæ Comœdiæ personas memorat et describit Pollux. Onom. IV, 143-154. ap. Meineck. Fragm. com. gr. Vol. I, p. 561.

Megarica comœdia, qualis in Græcâ urbe videtur mansisse, rudis et imperfecta, quidquid artis ipsi defuit, nimiâ atque inopportunâ magnificentiâ, quam carpit Aristoteles[1], supplebat, quum purpurâ τὴν πάροδον etiam Megarenses ornarent. Quod forsan a Syracusanis acceperant, apud quos dicebatur Phormis[2] primus purpureis stragulis scenam instruxisse.

Si non Megarica comœdia, at saltem comicum Megarensium ingenium sibi laudi ducere potuit quod duo viri inclarescerent, Tolynus et Phœnicides[3] : quorum ille, Veteris comœdiæ scriptor, metrum Cratineum invenisse tradebatur[4]; alter, qui circa Ol. CXXV-CXXX[5] vixit, nobis versus aliquot transmisit, non leporis expertes. Sic quoque memoremus Megarensem fuisse tragicum poetam Alcimenem, qui videtur fabulas Athenis docuisse. Nam tragœdiæ Megaricæ nulla usquam mentio.

§ III. *De Scholâ Megaricâ.*

Concessu omnium maxime floruit philosophica Megaricorum Schola, neque ullâ aliâ re nobiliores fuerunt Megarenses. Quæ, apud veteres inclyta[6], neque ab egre-

[1] Eth. Nicom. IV, 6.
[2] Suid. s. v.
[3] Vid. supra, p. 96, n. 1.
[4] Etym. Magn., p. 761.
[5] Teste Meineck.
[6] « Megaricorum fuit nobilis disciplina. » Cicer. Academ. II, 48.

giis Germaniæ Galliæque viris neglecta fuit : præsertim apud nos singulari studio recentius inspecta explanataque[1]. Mihi pauca admodum utique de illâ dicenda erant, neque rem universam tractare suscipienti, neque satis studiorum philosophicorum perito : viri doctissimi auctoritate inniti licebit.

Non primas obtinere valuit Megarica philosophorum disciplina; qui etiam fere ab origine triste illud *eristicorum* (ἐριστικῶν) nomen acceperunt, plerique non indigna passi. Verum illud quoque jam nunc eis imputemus, quod eorum præstantissimi clarissimique, Euclides, Scholæ parens, et Stilpo, Megarensis uterque, honesto animo atque optimis artibus eminuerunt. Ille Socratem summâ pietate et studio vel periculis superiore vivum prosecutus, neque morientem deseruit; mox Platonem, exsulare coactum, nobili hospitio Megaræ excipiebat. Stilpo, vitâ purâ et castitate morum insignis, pariter populi studium et regum favorem impune passus, mortuus est pauper, nobilissimos tamen hæredes Stoicos sortitus, qui ex ejus doctrinâ morali tot sublimia vitæ præcepta deprompsere.

Ne igitur Megarici nihil aliud quam sophistæ virtutis incuriosi fuisse dicantur. Si quis autem quid valuerint eorum opiniones scire velit, Euclides, magnâ ingenii vi præditus, inter eos qui *Decem*[2] Socratis discipuli nomi-

[1] Henne. École de Mégare. 1843.

[2] Diog. Laert. in Æschin.

nabantur, excellens, prius multa ex Parmenidis disciplinâ[1] hauserat; ita ut utriusque doctrinas inter se conjungeret. Ipse a Platone auditus, Platonicis *ideis* viam aperuit, quippe qui primus asseruerit nihil exsistere extra quasdam incorporeas et mente conceptas formas, νοητά ἄττα καὶ ἀσώματα εἴδη, quibus solis datur unis semperque iisdem esse, ac perstare. Ante Aristotelem, Euclides ejusque discipuli, imprimis Clinomachus, agitaverant quâ ratione et quibus conditionibus mens vim intelligendi exerceat; et, si non bene perspexerant[2] quid inter se commune diversumve habeant *posse* et *agere*, certe quantum momenti sit in eâ quæstione, scientiæ *metaphysicæ* præcipuâ, primi intellexerant. Denique ex eorum dialecticâ exortæ sunt Scepticorum et Stoicorum doctrinæ : nam Timon et Zeno Cittieus Stilponem[3], Pyrrho[4] Brysonem, Stilponis filium et Clinomachi discipulum, audiisse ferebatur.

Quamvis celebri illi Socratis in Euclidem dicto[5] fidem Megarici citius fecerint, nolimus oblivisci Euclidem ipsum vere Socraticum tamen se ostendisse, quum rebus, magis quam verbis intentus, et ardentissimo flagrans veritatis studio, in forum Megaricum non sophisticas

[1] Henn., p. 10 et 11.
[2] Arist. Métaph. IX, 3.
[3] Diog. Laert. IX, 109.
[4] Id. IX, 61. Suidas v. Πύῤῥων.
[5] « Euclides, cum sophistis vivere scies, nunquam autem cum hominibus. » Diog. Laert. in Socrat.

argutias, sed gravissimas altissimasque metaphysicæ ac moralis scientiæ quæstiones tractandas afferret. Quamvis dicteria aliquot[1], in ora omnium traducta, dialecticæ erroribus de industriâ auxiliantis merito pœnas exegerint, et famosa sophismata[2] inventa renovatave Eubulides nomine suo signaverit, illud quoque considerandum est, tantum veritatis doctrinæ Megaricæ inhæsisse, ut, licet omni ope adversantibus aliis scholis, ultra centum annos vitam produceret; atque imprimis ut ex eâ, jam moriturâ, exsisteret vir dignus cujus admiratione Græcia pæne tota incenderetur[3], et ad quem suam originem referret Stoicorum illa philosophia, Christianæ doctrinæ prænuntia.

Itaque, licet prave dijudicando, negando, abutendoque multum peccaverit schola Megarica, tamen in lucem edidit quædam vera magnaque : scilicet *quod est* (τὸ ὄν) idem omnino esse ac *quod bonum est* (τὸ ἀγαθόν); idem esse Deum ac *sapientiam* et *intelligentiam;* non posse

[1] Dicebat Diogenes : χολή pro σχολή Euclidis. (Diog. Laert. in Diogen. VI.) Timon :

.... οὔ μοι... μέλει... οὐδ' ἐριδάντεω
Εὐκλείδου Μεγαρεῦσιν ὃς ἔμβαλε λύσσαν ἐρισμοῦ.
(Diog. Laert. in Euclid. II.)

Confer etiam Alexini Elæensis, Megarici, cognomen : Ἐλεγξῖνος pro Ἀλεξῖνος. (Diog. Laert. II, 109.)

[2] Diog. Laert. II, 108.

[3] ... ὥστε μικροῦ δεῆσαι πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα ἀφορῶσαν εἰς αὐτὸν μεγαρίσαι. Diog. Laert. II, 113, 119.

omnino sine ratione scientiam constare ; denique unum, semper idem atque immutabile esse quodcumque verum ac bonum sit[1].

Quæ si plane et clare Megarici perspexissent, nullum apud veteres philosophorum nomen majore laude ornatum effulsisset. Verum non ita est, neque veteribus simul ac recentioribus litem intendam, quod Megaricorum nemo est qui eâdem quâ Plato, Aristoteles aut etiam Zeno, famâ fruatur. Quod enim jure ac merito factum est ; nam, quoties grande aliquid est inventum, is non injuriâ vere auctor celebratur, cujus ingenio res intellecta omnino et explicata, tota communi utilitati tradita est. Hoc tantummodo attendamus, eâ nos lege procedere solitos, ut nunquam optatum finem uno satis recto validoque impetu ultro assequamur ; sed, priusquam veritas, quasi fecundata, in florum fructuumque luxuriam evadat, plerumque hinc inde nescio quo casu spargi velut quædam ejus semina, plus minus accurate et feliciter deprensa excultaque. Ea sit saltem Megaricorum gloria, quod magnæ veritatis plura semina deprehenderunt et excoluerunt, citra tamen flores et fructus : sic etiam non minimum decus meruere.

[1] Henne, p. 246.

§ IV. *De artium apud Megarenses studio.*

Longas illas Pausaniæ descriptiones aut sæpius enumerationes quum legimus, miramur quantam ædificiorum monumentorumque multitudinem ei obtulerint vel minimæ civitates. Neque Megara profecto tali ornamentorum copiâ carere potuit, utpote quæ inter Græcas urbes haud infimum locum obtineret. Cæterum celebrati Megarenses propter ædificandi amorem, cui non mediocres opes suppetebant ditia eorum commercia. Itaque eos laudabat Isocrates[1] ut maximis inter universos Græcos domibus inclytos. Et multo ante, Megarensem Eupalinum, Naustrophi filium, Herodotus summâ admiratione prædicaverat, unius e tribus maximis quæ unquam vidisset operibus architectum; nempe subterranei illius canalis, quo montis alti in visceribus per septem stadia producto ad Samios aquæ vehebantur[2].

In ipsâ urbe Megarâ multa ædificia ab antiquis temporibus exstructa erant. Imprimis miratur Pausanias Theagenis Fontem, quem hic tyrannus, devectis Sithnidum nympharum undis, magnitudine, luxu, co-

[1] De Pace. 183.

[2] Herodot. III, 60. Eupalini opus, nuper unius e meis in Gallicâ Athenarum scholâ collegis *V. Guérin* curâ retectum, jam inspicere cuilibet volenti patet, quale ab Herodoto describitur. Vid. *Rapport à l'Acad. des Inscript. et Belles-Lettres, 25 novembre 1853, dans les Archives des Missions, tom. III, p. 474 sqq.*

lumnarumque numero conspicuum [1] ædificaverat. Religione sacrata erant, Gymnasio et Prytaneo exceptis, cætera omnia quæcumque memorat monumenta, a venerabili illo Cereris *Megaro* usque ad Iphigeniæ heroum permulta complexus [2]. Quorum singula quanti facienda fuerint, neque affirmare neque etiam conjicere in promptu est : vix tamen dubitari potest quin omnium splendidissimum fuerit Olympieum. De cæteris templis nihil certum ; neque quidquam de eorum magnitudine inferendum est ex eo quod multa statuis plus minus eximiis ornata erant, quum sciamus sæpe in minimis sacrariis collocata fuisse celeberrimorum artificum opera. Ne ullo quidem nomine Pausanias ædem indicat in quâ plura Lysippi signa conspiciebantur [3].

Hæc monumenta, qualiacumque fuere, parum picturâ, cujus nulla usquam mentio fit, maxime autem fingendi arte fuisse decorata videntur. Quæ ab origine apud Megarenses in honore fuit. Etenim, ne plures ligneas statuas (ξόανα), vetustæ religionis potius quam artis monumenta, memoremus, fatetur Pausanias se nusquam tam antiqua e lapide signa vidisse, quam quæ in Corœbi herois sepulcro [4] exsculpta erant. Scilicet ipse videbatur *Pœnam*, monstrum ab Apolline in Argivos

[1] Pausan. I, 40, 1.

[2] Vid. cap. I, sect. II hujus operis.

[3] Paus. I, 40, 6.

[4] Vid. sup. cap. I, § I, p. 24. De Corœbo, argivo heroe et Tripodiscorum conditore, vid. Pausan. I, 43, 7-

missum, interficiens : jam vera artis exercendæ materia.

Item etiam a principio aliud sculpturæ genus, apud Græcos florentissimum, Megarenses excepere. Circa enim medium sexti seculi, quum maxime Spartæ vigeret [1], Magnesiâ advecta, ars toreuticæ, Lacedæmonii Dontæ artem adhibuerunt, quâ multæ statuæ ex auro cedroque efficerentur. Has postea Olympiæ in Thesauro consecrarunt, cladis Corinthiorum monumento [2]. Ibi statuis effingebatur Herculis facinus Acheloum vincentis : huic Mars, illi Minerva auxiliabatur; aderat et Jupiter cum Dejanirâ. In fastigio exsculpta erat Deorum pugna adversus Gigantes; in quâ facile crediderim non omissum fuisse eumdem Herculem, Doriensem heroa. Hic etiam affixum erat scutum in quo legebatur Megarenses hunc Thesaurum e spoliis Corinthiacis exstruxisse.

Artem toreuticæ sic adscitam Megara non neglexit : nam Pausanias Minervæ statuam, in templo hujus Deæ super acropolim Alcathoi sito, vidit ex auro atque ebore factam [3]; at præsertim Megarensis artifex, *Theocosmus*, Jovis statuam, auspice Phidiâ, inchoaverat, Olympieum ornaturam : opus, bello Peloponnesiaco interruptum, nunquam ad finem perductum est. Jam perfectum erat Dei caput Horas et Parcas impositas gerens ; cætera tantum e luto gypsoque constabant; in templi opisthodomo

[1] Vid. Beulé : *Les arts et la littérature à Sparte*, p. 113 et s.
[2] Pausan. VI, 19, 9.
[3] Pausan. I, 42, 4.

remanserant ligna nondum omnino elaborata quibus Theocosmus aurum et ebur induturus fuerat. Hæc omnia vidit Pausanias[1], ingentis desiderii materiam, præsentiaque etiam publicæ sive inopiæ, sive negligentiæ testimonia.

Quemadmodum Phidiæ, ita celeberrimorum virorum artem Megarenses advocaverant. Sic ostendebant Scopæ tres statuas : Amorem, Cupidinem et Desiderium ; duo Bryaxidis : Æsculapium et Hygiam ; Lysippi Musas et Jovem ; Strongylionis Dianam ; Praxitelis præsertim complura signa : Duodecim Deos fortasse spurios, Satyrum e Pario marmore fictum ; Suadelam et Solatium ; Fortunam ; Latonam cum ejus liberis[2].

Præter Theocosmum, nullus Megarensis a Pausaniâ citatur ; ergo minus indigena quam externa ars Megaræ floruit. Videtur tamen ars quædam proprie Megarica exstitisse. Quid enim aliud significent signa illa Megarica quæ Atticus ad ornandam Ciceronis villam non pluris quam H-S ccıɔɔccıɔɔcccc emit[3]? Longe pluris venibant magnorum artificum opera qui statuis templa Megarica decoraverant.

[1] I, 40, 3.
[2] Pausan. I, (40, 2—44, 2.)
[3] Cicer. ad Attic. I, 8.

CONCLUSIO.

—

Quæ fuerit Megarensium vita inquirere aggressus sum. E tot sæculorum serie quæ percurrit antiqua eorum civitas, profecto non satis multa exstiterunt quæ securâ fide admitti possint : sæpe, ubi manifesta indicia deficiunt, conjecturâ utendum. Attamen, nisi fallor, inter veteres populos pauci cognitu faciliores fuerunt ; pauci digniores qui nostrum sibi studium conciliarent, seu quales ipsi fuerint respicientium, seu etiam quæ nomina externa nobis in memoriam revocent.

Parva illa gens Megarensium strenuâ et vividâ indole imprimis eminuit ; ideoque proprium sibi ac vere suum inter cæteras locum constituit. Per ea quæ de illius origine tradebantur, se magnarum Græciæ gentium affinem, ac velut vetustæ nobilitatis decore ornatam ostendit ; sed ita tamen ut primis illis temporibus, in quibus sibi invicem occurrunt et sæpe miscentur omnes populi vere Græci, suum locum tueatur. Ubi e fabulosis ad historica Megarenses evasere, jam adolescunt Doriensi generi prorsus addicti : unde simul fit ut liberi perstent, nam,

si Iones fuissent, non fugissent Atticam dominationem, et continuis periculis objiciantur. Inter cæteros Dorienses populos maxime industrii et solertes videntur : rei nauticæ dant operam, neque impedimento illis sunt vicini Athenienses, Corinthii, Æginetæ, quin navalem potentiam commerciumque per maria duo extendant, et plurimas utroque et nobiles mittant colonias; terram colunt, neque eorum constantiæ solum, licet infelix, divitias negat. Sic paratis opibus, diu libertatem, quamvis circum minentur potentes populi, retinent. Turbarum quidem civilium quibus laboravere universæ Græcorum civitates, neque ipsi expertes sunt, sed ita postremo factiones compescere atque animorum sævitiam sedare valent, ut eis alii, etiam externâ potentiâ orbatis, ob felicem reipublicæ statum et privatas opes invideant.

Humanitate ac pietate, præsertim in hospites, Megarenses excelluerunt. Fuerint, ut multi voluere, ad dolum propensi, risu pariter et lacrymis ad decipiendum abutentes, tum etiam nimium astutâ subtilitate disputare soliti : minime profecto suis eos vitiis eximere mihi in animo est; cæterum hæc vitia Græca Græcoque ingenio peculiariter infixa fuisse quis nescit? Attamen in summâ Megarenses, quemadmodum in actu vitæ validi et acres erant, sic in moribus non furtiva tectaque, sed potius aperta videntur amavisse, animi affectibus foras cum vi atque impetu proditis. Imo etiam modo carebant, sensûs exquisitioris nescii, et venustate vigori posthabitâ. Quod sane Athenienses neque ipsi omisere, neque alios omit-

tere siverunt, sed, vulgatis per Græciam universam dicteriis, veteris simultatis ac fortasse invidiæ explendæ causâ, Megarenses ubique ut rudes et inficetos celebravere. Videamus autem num deceat omni mentis cultu et ingenii felicitate destitutam gentem profiteri, cui præstantissimum poetam gignere, comœdiam invenire, inclytam philosophorum scholam producere, artes ingenuas præcipuo studio fovere atque exercere contigit.

Hæc mihi Megarensium ingenium inspicienti manifesta visa sunt. Quæ tot parvis vestigiis insistendo dum persequebar, perdidi-ne operam? Equidem neque permagnum opus moliri mihi ipse visus sum, neque prorsus insulsum et inutile. Non enim solum viatorem juvat interrogare quæ sint immortalia illa nomina quæ ipsi ruinis inscripta occurrunt. Sed, quum hæ ruinæ sint Græcæ, atque hæc nomina sæpe Thucydides, Aristophanes, Plato scripserint, omnium etiam interest nosse cujus populi et quarum rerum sint monumenta. Nempe Græcia litterarum politiorisque humanitatis vera patria est. Hoc sibi laudi in æternum ducit, quod, fato quodam devinctis, nobis ab illâ nostræ doctrinæ origo simul et prima exemplaria repetenda sint. Quanti igitur nobis momenti esset, si discernere possemus ex quibus causis prima illa perfectaque opera fuerint exorta, quorsum sponte ac per se ipsum tetenderit Græcorum ingenium, quæ autem illud circum adjuverint aut cohibuerint. Quæ nisi quis tentaverit, neque tantos e studio Græcarum litterarum fructus percipere poterit, neque illas

recte intelligere. Nusquam autem minus quam in Græciâ, a suis temporibus scripta disjungi possunt; nusquam magis facta præsentia præsentem morum animorumque habitum retulere. Ut scriptorem aliquem cognoscas, cognoscenda est ejus patria; quin etiam, quum Græciæ diversi populi tot inter se communia habuerint, tot vinculis juncti, tam multiplici atque acri æmulatione alii in alios fuerint instincti, non patria solum cujusque scriptoris, sed etiam cognatæ, de quibus loquitur, civitates cognoscendæ essent. Hoc in Atheniensibus perspicuum. Qui profecto, ut ingenuarum artium laude omnium facile principes, digni sunt qui primi curâ singulari inspiciantur; neque tamen recto expendentur judicio, nisi cum aliis comparati nos docuerint quomodo illis fuerint superiores, vel interdum quæ illis mutuando æmulandove debuerint.

Præterea, non quemadmodum excellentissimi, ita soli eminuere; qui ne omnia quidem genera sint experti. Quamobrem si totam Græcarum artium litterarumque imaginem, tanquam magnificum ædificium, instaurare instituamus, præcipuum sane locum habeant Athenienses; sed infra et circum multæ sedes aliis reserventur. Inter quas, si non primæ, multum abest ut extremæ Megarensibus addicendæ sint.

Ita fortasse apparet quid assequi possint utilitatis quicumque de singulis Græciæ gentibus idem fecerint quod de Megarensibus tentavi, sive ad unius civitatis, sive ad Græciæ universæ cognitionem spectes. Non enim

Græcia, quantacumque effecerint præstantissimi illius scriptores, nobis hodie, qualis fuit, statim atque ultro sese offert : sed quum prius multa patienter investigata collectaque fuerint, tum demum illud contingere alicui poterit, ut summam uno intuitu simul atque intellectu complectatur.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, pridie Id. Jun. ann. MDCCCLIV,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J.-Vict. LE CLERC.

Typis mandetur.

Academiæ Parisiensis Rector,

CAYX.

INDEX.